DE PRISCA REFUTATIONE

HAERESEON

ORIGENIS NOMINE
AC PHILOSOPHUMENON TITULO

RECENS VULGATA

COMMENTARIUS

TORQUATI ARMELLINI

E SOCIETATE IESU

ROMAE
TYPIS *CIVILITATIS CATHOLICAE*
1862.

DE PRISCA REFUTATIONE

HAERESEON

ORIGENIS NOMINE

AC PHILOSOPHUMENON TITULO

DE PRISCA REFUTATIONE

HAERESEON

ORIGENIS NOMINE

AC PHILOSOPHUMENON TITULO

RECENS VULGATA

COMMENTARIUS

TORQUATI ARMELLINI

E SOCIETATE IESU

ROMAE

TYPIS *CIVILITATIS CATHOLICAE*

1862.

PROOEMIUM

Per occasionem tradendae a suis primordiis ecclesiasticae historiae obtulit se mihi opportunitas expendendi operis quod *Philosophumenon* titulo atque Origenis nomine, septennio ante in lucem editum, controversiarum feracissimum exstiterat. Inter criticas quippe quaestiones quae seculum Ecclesiae tertium respiciunt, non ultimum sane locum sibi vindicabat opus illud historici generis, aetate pervetus, editione novissimum, idemque auctoris admodum controversi qui priscos aliquot eius aevi pontifices heterodoxis accenset.

Externa nempe atque interna vetustatis indicia sedulo erant pensitanda, ne simulata forte antiquitas imprudentes deciperet; tum, quod ad fidem historicis commodandam non parum habet momenti, probabilior operis auctor quaerendus erat; postremo criminationes erant examinandae quibus ille coaevorum sibi pontificum memoriam traducit. Haud enim aliter diiudicari poterat, ulla ne per editionem illius operis, et quaenam ad Ecclesiae historiam facta esset accessio.

Equidem principio nihil minus cogitabam quam laborem in auditorum gratiam susceptum publici iuris facere. Sed alieno deinde inductu, quum scholasticae exercitationis caussa theses ea de re vulgassem, fusiorem de ea quaestione commentarium promisi. Qua in re illis potissimum servire studui quibus neque graeci operis consulendi facultas est, neque editae ab externis in ea controversia lucubrationes patent.

Quamquam praeterea illud inde commodi exstiturum ipse censebam, ut quaestio de operis auctore non levibus impedita difficultatibus publicae iterum disceptationi subiiceretur: quando ipsa criticorum dissensio qui operam hac in re collocarunt, novam rei discussionem postulare videbatur. Hac igitur mente obligatam fidem ut potero soluturus, primum de opere ipso disseram, tum operis auctorem disquiram, ad extremum criminationes excutiam quibus auctor ille nominatim Callisti pontificis et martyris memoriam proscindit.

CAPUT I.

De codice parisiensi eiusque respectu ad supplementum gronovianum.

Chartaceus *Philosophumenon* codex, quem nunc Bibliotheca parisiensis numero CCCCLXIV notatum servat, in coenobio quodam montis Atho repertus est atque inde in Galliam delatus a Mynoide Myna anno huius seculi quadragesimo secundo. Vetustate nonnihil detritus est idemque ex vexato admodum exemplari descriptus characteribus seculo quartodecimo usitatis. Librarii nomen extremae paginae consignatum est his verbis: Χερσὶ Μιχαὴλ ἥδε βίβλος τελέθει γραφεῖσα, *Hic liber scriptus est manibus Michaëlis*. Codicis editio Emmanueli Millerio debetur qui eum anno quinquagesimo primo typis oxoniensibus vulgavit.

Prima codicis sectio principio caret eademque ad calce notata est his verbis: Φιλοσοφουμένων δ′ βιβλίον, *Philosophumenon quartus liber*. Hanc proinde Millerius universam ad quartum operis librum retulit. Sive tamen libri moles perpendatur, sive materies, dubitari nequit, ea codicis folia partim ad tertium, partim ad quartum librum pertinere. Ex auctore enim scimus, primum operis librum τὰ φιλοσοφούμενα, *philosophorum placita*, complexum fuisse, alterum τὰ μυστικὰ, *mysteria* ethnicorum; tum ex aliis duobus unum adversus astrologos, alium κατὰ μάγων, *contra magos*, fuisse scriptum [1]. Quae igitur a pagina trigesima tertia editionis millerianae ad sexagesimam secundam edita sunt astrologici argumenti, ad tertium librum sunt referenda; quae vero exin usque ad nonagesimam secundam in magorum operibus versantur, quarto supponenda sunt libro cuius notam ad extremum gerunt. Unde consequens est, priores duos libros, minime vero tres ut milleriana fert editio, in eo codice penitus desiderari. Quae iactura recens non est, imo vero fortasse ipso Michaëlis apographo antiquior:

1 *Philos.* - *Lib. I. pagg.* 4. 32. *Lib. VI*, § 39, *pag.* 200.

numeratio quippe chartarum tertio *Philosophumenon* libro ibidem inchoatur.

Ex titulo nihilominus, e stilo, e rerum serie, ex repetita mentione superioris cuiusdam libri, quo philosophorum scita tamquam haereseon fontes, referebantur, facile intellectum est, huc pertinere librum nomine Origenis olim a Gronovio vulgatum praefixo titulo: Φιλοσοφούμενα ἢ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος, ***Philosophorum placita sive omnium haereseon refutatio***. Quo factum est ut universae lucubrationis decem comprehensae libris, secundus modo liber, tertii principium atque exitus, quarti exordium, ac nonnulla identidem reliquorum loca desiderarentur. Videant tamen qui inspiciendi codicis habent copiam, num ad tertium librum pertineant astrologica illa quae in adverso codicis folio centesimo trigesimo quinto Millerius invulgata reliquit. Postquam enim duplicis libri materies in unum compacta est, fieri facile potuit ut fragmentum illud seponeretur ne libri moles plus iusto excresceret.

Ad titulum quod attinet, Millerius quidem editam a Gronovio inscriptionem retinuit: at ex universi operis ductu liquet, alium a scriptore titulum esse adhibitum. Equidem existimo universum opus inscriptum fuisse: Τοῦ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἐλέγχου βιβλία δέκα, ***Refutationis omnium haereseon Libri decem***; priores vero quatuor suis praeterea titulis fuisse distinctos. Et primus quidem, ut eum auctor appellat [1]: Τὰ φιλοσοφούμενα, ***Philosophorum placita***; secundus fortasse: Τὰ μυστικά, ***Res ad mysteria pertinentes***; tertius Κατ' ἀστρολόγων, ***Adversus astrologos*** inscriptus videtur; postremus, ut eum auctor designat [2]: Κατὰ μάγων, ***Contra magos***. Hos excipiunt quinque sequentes quos auctor proprie appellat [3]: Τὸν τῶν αἱρέσεων ἔλεγχον, ***Haereseon refutationem***. His decimus accedit liber qui totius confutationis summam ob oculos ponit. Ceterum in citandis ex hac refutatione locis, ut perspicuitati prospiciam, a recepto iam ***Philosophumenon*** titulo fere non discedam.

1 *Philos.* - *IX*, 8.
2 *Ibid.* - *VI*, 39.
3 *Ibid.* - *V*, 6.

Nostri operis non est de millerlana *Philosophumenon* editione particulatim cognoscere, quando consulendi codicis facultate careamus. Ex attenta nihilominus operis lectione intelligitur, multa quidem a Millerio praestita fuisse ut vexatus aevo textus restitueretur, at secundas adhuc postulari curas quibus emendatior ectypus recudatur.

CAPUT II.

Universi operis argumentum et partitio.

Haereticos singillatim omnes refutaturus auctor pro certo sumit, nihil in christiana veritate censeri quod neque e sacris litteris haustum sit neque continenti Sanctorum traditione ad posteros usque permanarit. Quod quum nihil tum quaestionis haberet, auctor continuo demonstrandum aggreditur, haereticorum dogmata neque e Scripturis ducta esse neque per Sancti cuiuspiam traditionem accepta, sed ethnicorum philosophiae, mystagogiae, astrologiae in acceptis esse referenda. Quum vero haereticorum aliqui ostentatione miraculorum vulgi fidem aucuparentur, iactata ab haereticis prodigia ex magice repetenda esse contendit.

Haec ut efficiat, primo refutationis libro praecipuas philosophorum opiniones de Deo deque rerum origine paucis perstringit, nullo aetatis aut scholarum ordine servato. In altero libro qui hactenus desideratur, ethnicarum initiationum ritus exposuerat, uti ex operis prooemio liquet. Tertio libro astrologorum commenta refert eademque allatis Sexti Empirici argumentis refutat. Quarto demum speciosiora praestigiatorum ostenta enarrat eaque partim dexteritati hominum, partim nativae pharmacorum efficientiae tribuenda esse demonstrat. His universi operis pars prior absolvitur, quae tota in eo est ut assumptionem praestituat atque iter ad eam probandam sternat.

Succedunt quinque sequentes libri qui omnium fere haereticorum placita referunt eaque sicubi opus est, ad profanam originem revocant. Sunt autem haeretici, de quibus vel fuse agitur

vel obiter mentio infertur, nullo aetatis respectu habito ita dispositi: Naasseni, Peratae, Sethiani, Iustinus, Simo, Valentinus cum gemina valentinianorum secta, Secundus, Epiphanes, Ptolemaeus, Marcus et Colarbasus, Basilides atque Isidorus, Satornilus et Monander, Marcio et Prepo, Carpocrates, Cerinthus, Ebionaei, Theodotus byzantinus, Theodotus trapezita, Nicolaitae, Cerdo et Lucianus, Apelles, Docetae, Monoimus, Tatianus, Hermogenes, Quartadecimani, Montanistae in duas factiones divisi, Continentes, Noëtiani, Sabellius, Callistiani, Alcibiades elchasaita. Ad haec, ne quid operi deesse videretur, satis prolixe agitur de tribus Iudaeorum sectis, Pharisaeorum nempe, Sadducaeorum, Essenorum.

Decimo tandem libro auctor universa summatim repetit quae de communibus philosophorum atque haereticorum placitis docuerat, ac tum demum sermone ad omnes terrarum incolas converso cunctis se christianae professionis magistrum auctoremque praebet.

CAPUT III.

Vulgatae a criticis lucubrationes occasione huius editionis ac diversae de operis auctore sententiae.

Ut primum in vulgus prodiit *Philosophumenon* liber qui tantam haereseologiae lucem affundere videbatur, mirum non est, complurium eruditorum studia in unum illud opus fuisse conversa. Idque eo vel magis quod notabilis quidam in ea lucubratione tractus, fere ut classicum quoddam, alienos a nostra communione homines ad certamen cum catholicis redintegrandum lacessebat. Contendit enim ibi auctor, a Callisto primo pontifice integritatem primae fidei castitatemque veteris disciplinae labefactari coepisse. Quae res heterodoxorum nonnullis peropportuna visa est ad honestandum tuendumque suum ab romana communione discidium; perinde quasi novum hoc vetustatis monimentum priscae huius ecclesiae tenebras discusserit eamque iam inde a tertio seculo christiano in officinam erroris conversam ostenderit.

Haud longa tamen praecocis illius triumphi laetitia fuit. Non enim defuerunt inter catholicos doctissimi viri qui periniquam schismatici scriptoris delationem refutarunt. Inter hos memorandus venit I. B. Doellinger qui universam illam narrationem particulatim expendit ac rationibus indidem petitis Callisti pontificis innocentiam propugnavit [1]. Tum etiam M. P. Cruice, ad massilionses infulas nuper merito promotus, qui callistiani pontificatus laudes adversus priscum oblocutorem defendit ductisque ex ipsa obtrectationo consectarlis recentium heterodoxorum assumptiones retudit [2]. Denique I. B. do Rossi eques qui, historico illius narrationis examine instituto, rationibus e christiana archaeologia depromptis absolutissimam Callisti pontificis defensionem elaboravit [3].

Longo operosior in auctore designando controversia longeque maior sententiarum variatio fuit. Praetereo prolatas olim opiniones quum primus eiusdem operis liber seorsim a Gronovio vulgatus est. Licet enim fragmentum illud facile abiudicari potuisset Origeni cuius nomine inscriptum erat, nullo tamon pacto diiudicari poterat cuinam esset auctori tribuendum. Postquam idem opus octo ferme auctum libris Millerii cura editum est, nova indicia veteribus accedere visa sunt quae lucubrationem illam Origeni alienam esse commonstrarunt. Nam plerique eorum qui huic indagini animum appulerunt, posthabita tituli praescriptione, alium atque alium eius operis auctorem existimarunt. Inter hos Jacobius illud homini latino primus adscripsit ob latinas praecipue locutiones quao in eius graecitate occurrunt [4]. Hunc autem censuit fuisso

1 DOELLINGER - *Hippolytus und Callistus; oder die römische Kirche in der ersten Hälfte des dritten Jahrhunderts. Regensburg*, 1853.

2 CRUICE. - *Études sur de nouveaux documents historiques empruntées a l'ouvrage récemment decouvert des* Philosophumena. *Paris*, 1853, *pagg.* 190-274.

3 Vide Commentarios, qui Romae eduntur titulo *Civilitatis Catholicae*, Ser. III, vol. XI, pag. 363-64.

4 In periodicis commentariis Berolini editis (a die 21 Iunii ad 29 Iulii an. 1852) praefixo titulo: *Deutsche Zeitschrift für christliche Wissenschaft unde chrisliche Leben.*

Hippolytum a paschali cyclo notum, eundemque tum a pluribus operibus perillustrem, tum ab alia haereseon refutatione quam Photius in *Bibliotheca* descripsit [1]. Eidem Hippolyto hanc refutationem affinxit Christianus Bunsen, hoc uno discrepans a Jacobio quod eam non aliam esse contendit quam memoratam a Photio lucubrationem [2]. At Bunsenium hac in parte refutavit anglicanus canonicus Wordsworth qui novis argumentis Jacobii sententiam commendare studuit [3]. Inter has disceptationes nova quaedam in Anglia prodiit opinio periodicis nescio quibus commentariis consignata, iuxta quam Caius Zephyrino pontifici aequalis, *Philosophumenon* auctor habendus esset. Hanc opinionem edito libro Iosephus Fessler confirmandam suscepit [4]. Haud multo post M. P. Cruice vehementia prompsit indicia quae Tertullianum auctorem designare videntur [5]: at simul candide fassus est, gravibus se difficultatibus deterreri quominus in ea opinione consistat. Qua de re non aliter parisiense litteratorum Collegium iudicavit, ut alio in opere Cruicius retulit [6].

Hae sunt de *Philosophumenon* auctore propositae hactenus opiniones, quarum ipsa diversitas controversiae difficultatem demonstrat. Praestat igitur momenta singularum expendere, ut statuatur, ea saltem ratione quam quaestionis indoles patitur, quisnam eius operis auctor censeri possit. Sed priusquam id aggredimur, de ipsius operis authentia paucis cognoscere ne gravemur.

1 Phot. - *Cod. CXXI.*

2 Bunsen. - *Hippolytus and his age ... London,* 1852.

3 Wordsworth. - *St. Hippolytus and the church of Rome in the earlier part of the third century. London,* 1853.

4 Fessler. - *Ueber den wahren Verfasser des unter dem Titel* Philosophumena Origenis *jüngst erschienen Werkes. Tübingen,* 1852.

5 Cruice. - *Études sur de nouveaux documents historiques empruntées à l'ouvrage récemment decouvert des* Philosophumena. *Paris,* 1853.

6 Id. - *Histoire de l'église de Rome ... de l'an.* 192 *à l'an* 224. *Paris,* 1856. - Sententia de Tertulliano huius operis auctore propugnata primum est publice a Jallaberto coram parisiensi litteratorum Collegio, typisque parisiensibus ab eodem viro vulgatus est ea de re commentarius inscripto titulo: *Études critiques sur le livre des* Philosophumena, *par l'abbé Jallabert. Paris* 1853.

CAPUT IV.

Veterum testimonia de hac haereseon refutatione.

Quae Theodoretus de Peratis, de Montanistis, de Preponte, de Monoimo, de Noëtianis, de Callisto attingit, non obscure significant, hanc haereticorum confutationem Theodoreto haud incompertam fuisse 1. At confutationis auctor Theodoretum latuisse videtur. Nam neque illum nominat ubi decerptas indidem notitias consignat, neque probabilem ullum eius confutationis auctorem appellat ubi praestantiores haereseographos ab se consultos recenset 2. Commemorat quidem inter hos Origenem, cuius forte nomen cyrrhensis *Philosophumenon* codex praeferebat, sed is profecto Theodoretus non erat qui talem scribendi modum Origeni tribueret. Non poterat quippe non videre hoc in opere vir sagacissimus quod in *Parvo labyrintho* vidit ac notavit, esse quidem qui opus illud origenianum dicerent, *sed eos charactere ipso refutari* 3. Hinc est quod neque ad peraticam haeresim, neque ad noëtianam, neque ad Monoimi animadvertat, eas fuisse ab Origene refutatas; quamquam notare soleat diligenter, quinam scriptores quamque haeresim oppugnarint.

Ad haec non amplius quam extremum operis librum Theodoretus compertum habuisse videtur, vel certe librum proxime praecedentem penitus ignorasse. Iniecta enim Callisti mentio penes Theodoretum mentionisque modus, ut merito notavit Cruicius, planum facit, prolixiorem auctoris in Callistum declamationem, quique eam continet, nonum eius operis librum a Theodoreto lectum non fuisse. *Eam haeresim*, inquit, *post Noëtum propugna-*

1 Theodoret. - *Haer. fabb. I,* 17; *III,* 2; *I,* 25; *I,* 18; *III,* 2, *coll. Philos. X,* 10, 17, 19 *(coll, VII,* 31*)*, 26, 27.

2 Idem - *Ibid. in epist. ad Sporacium.* Porro, tametsi haec epistola Theodoreto abiudicanda videatur, eius auctor Theodoreti studiosus nihil aliud egit quam ut indicatos a Theodoreto fontes cum fide inibi recenseret.

3 Idem - *Ibid. II,* 5.

vit Callistus, et ipse dogmatis impietati additamenta quaedam commentus 1. Quae mentionis ratio perspicue significat, Callistum tanquam obscuri nominis haereticum spectatum ab eo fuisse; praesertim quum nullus alter, excepto scriptore *Philosophumenon*, Callistum inter haereticos recensuerit. Non legit igitur cyrrhensis haereseographus nonum eum librum, unde profecto intellexisset agi heic de clarissimo illo pontifice ac martyre qui celeberrimo Urbis hypogaeo nomen indiderat. Ad haec quum ipse in illa haereseon confutatione legisset, *Noëtum induxisse haeresim ex Epigono quodam ad Cleomenem transgressam* 2, sic ea vocabula sumpsit ut scriberet, *Noëtum... instaurasse haeresim quam Epigonus quidam... primus ediderat* 3. Atqui si legisset in superiore libro fusiorem de illa haeresi tractationem, intellexisset profecto (ut scite Doellingerus 4 advertit), Noëtum in ea serie primum, Epigonum secundum, Cleomenem tertium exstitisse. Igitur decimus dumtaxat *Philosophumenon* liber, qui totius operis epilogus est, (idemque minus, quam hic noster, aetate exesus) a Theodoreto lectus est.

Praeter Theodoretum inter veteres unus est Photius qui hanc haereseon refutationem Origenis nomine ac *Labyrinthi* titulo inscriptam fortasse vidit. Quod enim auctor *Philosophumenon* ad calcem operis testatur, se esse scriptorem operis *De universi essentia*, idipsum, teste Photio 5, scriptor *Labyrinthi* extremo in opere consignaverat. Neque tituli diversitas officit, quando tanta in codicibus reperiatur titulorum variatio, praesertim quum de avulsis ac male multatis librorum fragmentis agitur. Non enim censendum est, integrum hoc opus notatione dignissimum Photio patuisse, quin ipse quidquam in romanos episcopos ab auctore perstrictos animadverteret. Censuerim potius, postremum duntaxat librum a Photio lectum fuisse, cui proinde libro tanquam

1 Theodoret. - *Haer. fabb. III*, 2.
2 *Philos.* - *X*, 27.
3 Theodoret. - *Haer. fabb. III*, 2.
4 Doellinger - *Hippolytus und Callistus.*
5 Phot. - *Cod. XLVIII.*

per se cohaerenti librarius titulum fecerat ex eiusdem libri exordio petitum. Namque initio eius libri scribit auctor Philosophumenon: *Labyrinthum haereseon haud per violentiam perfringentes, at sola refutatione ac veritatis virtute dissolventes ad veritatis demonstrationem progredimur* [1]. Quae verba licet ad superiores libros respiciant ac *dissolutum* haereseon *Labyrinthum* significent, avulsis tamen aut deperditis iisdem libris facile potuerunt ad unicum hunc librum referri.

Igitur neque Theodoretus neque Photius neque alius ullus, cuius scripta supersint, primos novem *Philosophumenon* libros vidit, quorum nonus notabilem illam de Callisto heterodoxo relationem continet. Inde suspicari quis posset, invidiosam narrationem operi ceteroquin antiquo per fraudem a recentiori manu adsutam fuisse. Operae igitur pretium est, ubi externa desunt argumenta, ex internis indiciis argumenta promere quibus doli mali suspicio vel confirmetur vel amoveatur. Quum tamen id accuratiorem poscat indaginem, commodius in sequens commentarii caput transfertur.

CAPUT V.

Certa vetustatis indicia huic operi innexa suspicionem confictionis excludunt.

Incomperto adhuc operis auctore, non alia postulari potest authentiae demonstratio quam quae ostendat, opus illud ea prorsus aetate scriptum esse quam scriptor praetendit. Quum vero hic di-

1 Τὸν λαβύρινθον τῶν αἱρέσεων οὐ βίᾳ διαῤῥήξαντες ἀλλὰ μόνῳ ἐλέγχῳ ἀληθείας δυνάμει διαλύσαντες πρόσιμεν ἐπὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἀπόδειξιν. *Philos.* X, 5. Placet heic subnectere eiusdem generis exemplum quod a Mabillonio his verbis refertur. *Cum bibliothecae Altaempensis indicem revolveremus, occurrit in illo indice* Ciceronis liber de Republica. *Illico exsiliit animus, lecto titulo praeclari operis quod iamdudum excidisse creditur. Sed breve gaudium fuit. cum, viso codice, advertimus, hoc opus nihil aliud esse quam Philippicam primam Ciceronis, quae ab his verbis incipit:* Antequam de Republica, Patres conscripti, dicam *etc.* - MABILLON. - *Iter ital. pagg.* 76, 77.

serte affirmet, se Callisti primi pontificis aequalem fuisse, idemque non obscure significet, se scribere aliquanto post illius pontificis obitum, eo spectare debet nostra declaratio ut intelligatur, opus illud tertio seculo vertente elaboratum fuisse. Quod dum praestamus, illud ob oculos versari debet, confictiones et fraudes exceptionum loco habendas esse, quibus proinde confirmandis affirmantia requiruntur indicia, excludendis negantia plane sufficiunt.

Iam vero recens quilibet scriptor, qui forte confictum ab se opus prisco auctori supponere studeat, caute admodum incedat necesse est atque ita fere, ut neque nimis in apertam veluti planiciem exspatietur, neque leviora quaeque adiuncta rerum attingat, neque in interiora quaestionum imprudens ingrediatur. Id ni sedulo curaverit, fieri vix potest ut nuspiam ementitae aetati contradicens ne minimam quidem retegendae fraudi ansam praebeat. Atqui auctor *Philosophumenon* amplissimum imprimisque varium scribendi campum ingressus penitiora quaeque ac minutiora multiplicis historiae capita fidenter tractat, haereseologiam universam audacter decurrit, ecclesiasticis etiam controversiis immoratur, nec tamen ullum sequioris aevi vestigium sive in diverticulis sive in universo itinere relinquit.

De doctrina porro et disciplina Ecclesiae controversias non attingit alias quam quae tertio vertente seculo agebantur: quod collatis cum hoc opere disputationibus Tertulliani facile apparet. In his autem ne ulla quidem vocula illi excidit, quae recentiori aetate primum sonuerit, nedum leve quodvis indicium illius explicationis quam serius occasione haereseon christiana dogmata vel instituta nacta sunt. Speciminis ergo unum notabo disceptationis caput in quo posterioris temporis nota deprehendi facile potuisset.

Exploratum est, prioribus tribus Ecclesiae seculis scriptores graecos voce quidem ὑποστάσεως designasse quod proprium est, vocabulo autem οὐσίας quod commune est in divina Trinitate. Quae vocabula quum Latini haud satis distinguerent, ob inopiam linguae alterum appellatione *personae*, alterum *essentiae* vel *naturae* significarunt [1]. Ex eo discrimine dissensiones ortae sunt seculo

1 Greg. Naz. - *Or. XXI*, §. 35.

quarto; quum hinc quidem Latinorum aliqui censerent, professione plurium hypostaseon vel naturae divisionem efferri vel naturarum pluralitatem, inde vero nonnulli e Graecis putarent, personae vocabulo, quo simplex quandoque functio significatur, non satis exhiberi subsistentiam [1]. Igitur in disputationibus de augusta Trinitate qui deinde exclusum omnino sabellismum voluere inter Latinos, vel tres hypostases professi sunt vel tres personas *perfectas* et *subsistentes*. Porro heic scriptorem habemus natione latinum, qui tamen Graecos praesertim alloquitur, quique adeo sabelliani erroris inimicus est ut in contrarium errorem lapsus videatur. Quam facile fuisset serioris aevi scriptori callistianam fidem eo nomine suspectam reddere quod etsi Callistus plures diceret personas, nihilo secius unicam hypostasim admitteret! At nihil tale promit auctor ubi sabellianam haeresim Callisto affingit. Imo vero in ea criminatione non alio quam προσώπου *(personae)* nomine distinguit hypostases divinae Trinitatis. Ait enim referens Callisti doctrinam [2]: *Qui est in ipso*, nimirum in homine christo, *Pater assumptam carnem deificavit, eam sibi iungens, et fecit unum ita ut vocetur Pater et Filius, unus Deus. Atque hoc, quum sit una persona, non posse esse duas... Non enim vult dicere... unam esse personam*, cet. Sed ne sim nimius, conferat quisque dogmaticas auctoris formulas cum locutionibus per ea tempora usitatis: nullam reperiet cui gemina vel similis apud antiquiores vel aequales, Iustinum, Irenaeum, Hippolytum, Tertullianum non recurrat.

Quod attinet ad haereseologiam, profitetur ipse plus semel, se neque ullam haereticorum sectam neque errorem ullum notatu dignum sine animadversione praetermissurum. Et sane inter plurimos haereticos ab eo recensitos aliqui etiam referuntur quorum

1 Idem - *Or. XLII* § 16; Basil. - *Epist. CXIV* §§ 3, 4; Hieron.-*Epist. XV ad Damasum.*

2 Ὁ γὰρ ἐν αὐτῷ γενόμενος πατὴρ προσλαβόμενος τὴν σάρκα ἐθεοποίησεν ἑνώσας ἑαυτῷ καὶ ἐποίησεν ἓν ὡς καλεῖσθαι πατέρα καὶ υἱόν, ἕνα θεόν, καὶ τοῦτο ἓν ὂν πρόσωπον μὴ δύνασθαι εἶναι δύο . . . Οὐ γὰρ θέλει λέγειν . . . ἓν εἶναι πρόσωπον κ. τ. λ. - *Philos. IX*, 12 *p*. 289.

nulla mentio aut vix aliqua apud veteres occurrit. Sed in illo haereticorum atque haereseon censu, quo non alius plenior ante Epiphanium reperitur, nulla elabitur auctori mentio heterodoxi coetus, nulla erroris qui medio seculo tertio posterior fuerit. Quod enim tamdiu ante nicaenam synodum quartadecimanos haereticis accenseat, id scriptori consentaneum est qui beatum pontificem Victorem idcirco extollit ut eius deprimat successores, quique summi sacerdotis munia proscriptione omnium ab se dissidentium exercere studet. Ceterum conlatis auctoris relationibus cum aequalium aut paullo recentiorum haereseographorum scriptis, plane perspicitur nonnullos haereseologiae fontes aeque ipsi atque aliis patuisse, quamquam auctor tum ex his pleniore haustu tum ex aliis haereseologicas notitias ceperit. Si quid porro heic distinctius expressum legitur, id nuspiam vetustioribus repugnat, imo vero quandoque subobscuras veterum memorias illustrat. Exemplo sint quae apud auctorem de Noëti aetate deque Sabellii primordiis referuntur. Ex eius relatione efficitur, aliquanto ante Zephyrinum pontificem haeresim noëtianam in Asia prodiisse: quod ab Epiphanii chronotaxi dissidet, sed cum vetustioribus Tertulliani atque Hippolyti memoriis consentit. Alter enim illam haeresim cum nova Montani prophetia natam indicat, alter autem, qui fuit Irenaei discipulus, Noëtum vixisse affirmat haud multo ante quam ipse contra noëtianam haeresim scriberet [1]. De Sabellio vix quidquam tangit in historia Eusebius, allata dumtaxat alexandrini Dionysii epistola quae paullo post medium seculum tertium de sabelliano motu nuper coorto cognominem romanum praesulem admonuit [2]. Eusebiani episcopi in sua epistola synodica pseudosardicensi obiter notant, Sabellium Romae damnatum fuisse [3]: quod Tillemontio parum credibile visum est. Philastrius atque Augustinus, eum fuisse Noëti discipulum, prodidere [4]. Haec autem

1 *Philos.* - *IX*, 7; Epiph. - *Haer. LVII*; Tert. *Adv. Prax. I*; Hippol. - *Cont. Noët.* 1.

2 Eus. - *H. E. VII*, 6.

3 Inter opera Hilarii ed. Maurin. p. 1320.

4 Philastr. - *De haeres. c. LIV*; Aug. - *Haer. XLI*.

dissita in speciem atque pugnantia componi nequeunt adhibita Epiphanii chronotaxi quae priscorum testimoniis repugnat: pulcre tamen cohaerent cum auctoris narratione quae Sabellium exhibet inchoato seculo tertio Romae commorantem, dum Cleomenes quidam noëtianae scholae ibidem praeesset, eumdemque Romae a Callisto pontifice condemnatum refert.

His accedunt alia vetustatis indicia. Et primo quidem quod auctor, qui Romae diu versatus videri vult nec procul ab eadem urbe episcopatu fungens, graeco scribat eiusque plane generis graecitate utatur quae per eam aetatem nostratibus graece scribentibus usitata fuit. — Deinde, quod animum adeo exulceratum gerat catholicisque infensum, et nihilominus certum quemdam in calumniando modum servet. Quae nimirum calumniandi parcitas demonstrat, aetatis cum propinquitate fuisse prohibitum quominus impune modum omnem in obloquendo excederet. — Denique idem ille liber, qui vocari forte in suspicionem posset, reconditiores eius aevi memorias tam accurate, in eumque modum attingit ut eiusdem prorsus aetatis hominem referat ac propemodum sonet: quod in historica olus libri recognitione I. B. eques de Rossi ad liquidum demonstravit. Pauca quaedam ad specimen commemorabo. — Refert auctor, Callistum adhuc adolescentem fuisse famulum Carpophori cuiusdam christiani qui erat e domo Caesaris. Siquid heic ex arbitrio confictum censeri posset, id profecto esset privati hominis nomen quod obiter in ea narratione memoratur. Sed laudatus modo archaeologus monuit, se christianam habere inscriptionem in suas schedas relatam qua Carpophorus quidam M. Aurelii libertus nominatur. — Quae ab auctore notantur de Fusciani animadversione in Callistum, apprime consentanea sunt severitati illius praefecti [1], legique necdum antiquatae de puniendis iis qui christianae professionis quasi crimine delati fuissent [2]. — Congruit narrationis contextus cum anno quo Fuscianus praefectu-

1 Capitolin. - *In Pertinace c. IV.*

2 Plin. - *L. X. ep.* 96 *coll.* Eus. - *H. E.* V, 21, *et* Hieron. - *De script. eccles. XLII.*

ra urbana functus est, eo nimirum quem nuper Bartholomaeus comes Borghesi ex veterum memoriis operose iuxta et accurate constituit: is est christianus annus CLXXXVIII qui solido decennio inferior exsistit eo quem Corsinius consignaverat [1]. Quum enim anno illo Callistus deportatus in Sardiniam fuerit, ut refert auctor, atque inde non serius anno CXCII, Commodi imperatoris postremo, fuerit revocatus, congruenter auctor notavit, in Italiam revertisse Callistum dum adhuc recens esset apud omnes eius memoria. — Ut synchronismus Victoris pontificis, Commodi augusti, Marciae pellicis cum historia cohaeret, sic Marciae in christianos benefactum ab auctore relatum cum Dionis Cassii testimonio [2]

1 Chronologiae studiosis non displicebit heic latine perstricta legere quae vir ille clarissimus de Fusciani praefectura disseruit litteris datis ad p. Raph. Garrucciam e S. I. « Fusciani praefecti mentio, quod norim, ter apud veteres recurrit, apud Dionem primo (LXXIX, 4), deinde apud Tertullianum (Ad nat. I, 16), denique apud Capitolinum (In Pertin. 4). Verum de illius praefecturae tempore nihil ex Dione extunditur. E Tertulliano apparet, eum fuisse Urbi praefectum antequam Severus Pescennii atque Albini fautores necaret. Ex Capitolini narratione efficitur, Pertinacem proxime in Fusciani praefecti locum successisse. Quare ut huius praefectura recte consignetur, ineundae sunt nobis rationes annorum Pertinacis. - Ex primo eius consulatu suffecto, qui Dione teste (LXXIII, 13) incidit in annum CLXXV, inferri potest tempus quo eidem Africa provincia obtigerit. Statum enim per ea tempora intervallum fasces inter et consularis provinciae sortitionem tredecim ferme annos complectebatur. Anno itaque CLXXXVIII africanus Pertinacis proconsulatus incepit. Et sane anno CLXXXV, quo Perennis caesus est, Commodus appellatus est *Felix* (Lamprid. In *Commodo c. VIII* coll. Eckel *T. VII p.* 144), eodemque exeunte, ut auctor est Capitolinus, Pertinax legatus fuit in Britanniam; hinc *accepto successore, alimentorum ei cura mandata est; deinde proconsul Africae factus est.* Quare is, triennio in tribus hisce muneribus impenso, redire Romam non potuit ad praefecturam suscipiendam ante ver anni CLXXXIX, siquidem annus proconsularis duos civiles annos participabat. Fuscianus igitur, cui sublectus est Pertinax, praefecturam gessit anno CLXXXVIII. Quod confirmatur gemino eiusdem consulatu, qui eumdem in annum incidit; urbana quippe praefectura serius ocius iterationem consulatus afferre consuevit ».

2 Dio Cass. - LXXII.

concordat, unde scimus, *Marciam christianorum fuisse studiosam ac multa in eos beneficia contulisse: omnia quippe poterat apud Commodum.* Neque illud cum historia pugnat quod auctor Marciam appellet *religiosam* feminam: siquidem ethnicis historicis fidendum non est ubi ex privatis relationibus atque insito fortasse in christianos odio de Marcia obloquuntur [1]. — Ad ecclesiasticam Callisti vitam exponendam conversus auctor scribit, Callistum a Zephyrino pontifice praepositum *Coemeterio* fuisse (εἰς τὸ κοιμητήριον). At quando tam multa Romae tunc essent christianorum hypogaea, quaeri posset, quodnam singulare coemeterium ab auctore fuerit designatum? Ita sane, si diu post callistiana tempora liber iste fuisset exaratus. Sed scriptori illius aetatis, quam liber ipse praetendit, necesse non fuit rem pluribus explicare. Notum quippe omnibus erat, Zephyrino pontifici suum fuisse hypogaeum, in quo ipse compositus est, quodque, amplificatum atque ornatum ab eiusdem successore Callisto, huius porro nomine appellari perrexit. Neque illud ab eius temporis instituto abhorret, Callistum coemeterio praefectum esse antequam presbyter fieret. Namque primus romanorum pontificum, qui presbyteris coemeteria concrederet, memoratur Dionysius qui annis amplius quadraginta posterior Zephyrino fuit. — Rursum Callistus, qui Zephyrino pontifice archidiaconus fuisse ab auctore non obscure perhibetur, post Zephyrinum electus est Urbis episcopus. Id mihi revocat priscam Ecclesiae consuetudinem ut ad infulas pontificales non raro assumeretur qui prius archidiaconi officio functus cleri plebisque existimationem promeruisset. Cuius rei nescio an primum forte exemplum sit in Ecclesiae annalibus electio pontificis Eleutheri, quem Hege-

1 Quod Marcia apud historicos atque ipsum adeo *Philosophumenon* auctorem nominetur concubina Commodi, longe abest quin ad Marciae dedecus trahendum sit. Quum enim ipsa generis esset libertini (VICTOR-*Epit. XVII*, 5), lex iulia non sinebat ut iustis nuptiis cum imperatore iungi posset eiusque uxor appellari. Sed hoc civiles duntaxat coniugii fructus spectabat quibus carebant qui contra legem nupsissent. Fuit igitur Marcia uxor Commodi, non iure fori, sed iure caeli, quamvis ex praescripto romanarum legum *concubina* vocaretur.

sippus *Aniceti diaconum* fuisse adnotat. Ceterum vetusti illius moris testem habemus apud Photium [1] Eulogium alexandrinum, cui non pauca tertii seculi ac sequentium exempla suffragantur. Atque haec fortasse consuetudo numerari debet inter caussas illius auctoritatis, quae seculo Ecclesiae quinto in tantum excreverat [2], interque occasiones illius fastus quem suo tempore Hieronymus [3] in archidiaconis nonnullis reprehendit. — Sed vereor ne ultra progrediens legendi satietatem faciam. Quamquam nemo succensere mihi iure possit quod tamdiu in levissimis rebus fuerim immoratus. Haec enim illa sunt in quibus eo facilius ab simulatoro peccatur quo magis eadem scriptoris aeque ac legentium aciem fugere consueverunt. Concludamus igitur, sive disserendi, sive narrandi, sive ipse calumniandi modus attendatur, vetustioris aevi simulationem non modo heic nullis subolere iudiciis, verum ab ipsa tractationis atque operis ratione penitus excludi.

CAPUT VI.

Cur haec haereseon refutatio a priscis illaudata iacuerit.

Demonstrata lucubrationis antiquitate, restat ut veterum de ea silentium cum propugnata eiusdem authentia componatur, nequis forte aliquam nostris rationibus difficultatem ex eo capite creari existimet. Quod ut praestetur, eius reticentiae vel certa vel probabilis caussa proferenda est.

Iam vero huiusce silentii ratio sane multiplex esse potuit. Et primo quod auctor eius operis dux fuerit schismaticae factionis quae fortasse neque diu vixit neque late admodum fusa est. Unde consequens fuit, ut eadem huius scripti sors fuerit quae similium heterodoxorum scriptis obtigit. Horum quippe pars multo maxima iampridem intercidit; fragmenta dumtaxat aliqua, fere ut ho-

1 Phot. — *Cod. CCLXXX.*

2 Cons. Chrys. - *Ep. ad Inn. I;* Leo M. - *Ep. ad Marc. imp.* §§ 84, 85; Conc. chalc. *Actt. I, II;* Conc. tol. I. *Cap.* 2; all.

3 Hieron. - *In Ezechiel. XIV,* 48.

stium debellatorum exuviae, in operibus patrum superfuerunt. — Deinde quod opus graece scriptum fuerit per eam tempestatem qua latinae litterae inter christianos occidentis multo quam graecae frequentiores esse incipiebant. Quare non multo post minui coepit ac deficere latinorum numerus qui opus illud intelligere possent. Nam ad orientem quod attinet, non satis graece scriptum erat ut Graecis Latinorum contemptoribus placeret.

His accedit propria operis ratio quae per se ipsa lectorum ac laudatorum numerum non ita magnum ferebat. Hos enim vel in catholica ecclesia vel in heterodoxis coetibus quaesivisset. Atqui catholicos quidem calumniatur hic liber atque haereticis accenset, heterodoxos vero cunctos insectatur et damnat. Igitur paucos admodum lectores ac laudatores haec lucubratio habuerit necesse est: eaque propter non diu luce frui publica potuit. Ita profecto factum est ut opus ceteroqui materia, eruditione, vetustate eximium demptoque unico libro plane orthodoxum paucorum ad manus venerit, in frusta concisum, idemque universum tamdiu in tenebris delituerit.

CAPUT VII.

Aliqua ex emolumentis quae percipi ex hac lucubratione possunt.

Utrum anteceptas eruditorum spes, qui novam Origenis lucubrationem exspectabant, huius voluminis editio exaequarit, heic ego non definiam. Unum tuto affirmaverim, cuicumque tandem haec refutatio debeatur, non exiguae frugis eam fore tum ad profanam, tum potissime ad sacram litteraturam locupletandam. Quamquam enim alienis excerptis magnam partem composita sit, hoc etiam nomine utilis exsistit quod transmissam a maioribus supellectilem augere nonnihil ac reconcinnare potest. Missis tamen profanae litteraturae fragmentis quae hoc uno in opere tulerunt aetatem, liceat mihi nonnulla animadvertere quae propius ad universae lucubrationis argumentum referuntur.

Haerescon expositio non exiguam partem ex Irenaeo descripta est [1]: non idcirco tamen sua fruge caret. Quum enim graeco Irenaei textu careamus, quaeque superest latina versio interdum subobscura sit, expressa heic ex Irenaeo loca ad latinam versionem explanandam et graecam scriptionem restituendam adhiberi utiliter poterunt. Exemplo sit celeberrimum Irenaei testimonium de romanae ecclesiae *potentiori* seu *potiori principalitate* [2], cuius graeca quae desideratur, scriptio criticorum ingenia tantopere exercuit ac divisit. Etsi enim ille Irenaei locus ab auctore non afferatur, alius tamen affertur ex quo graecum *principalitatis* vocabulum ab Irenaeo adhibitum elici fortasse potest. Posterius hoc Irenaei testimonium in latina versione hic verbis effertur: *Cerinthus autem quidam... non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata et distante ab ea principalitate quae est super universa* [3]. Idipsum graece apud auctorem sic habet: Κήρινθος δέ τις . . . ἔλεγεν οὐχ ὑπὸ τοῦ πρώτου γεγονέναι τὸν κόσμον, ἀλλ' ὑπὸ δυνάμεως τινὸς κεχωρισμένης τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα ἐξουσίας [4]. Unde apparet, *potestatis* sivo iuris vocabulum ab Irenaeo adhibitum fuisse, quod nullo pacto ad meram temporis antecessionem referri potest. Idque eo mihi est probabilius quod auctor in epilogo, ubi Cerinthi opinionem repetit [5], insidentem animo iuris notionem, mutato licet vocabulo, retinuerit. Quam enim superius vocaverat *potestatem* (ἐξουσίαν) *quae est super universa*, eam deinde appellat τὴν ὑπὲρ τὰ ὅλα αὐθεντίαν *auctoritatem quae est super universa*. Sive igitur alterutrum sive utrumque verbum Cerinthus usurpaverit, certum est, eum iuris vocabulo usum esso. Unum superest exquirendum, utrum Irenaeus de romana ecclesia scribens *potestatis* (ἐξουσίας),

1 Loca *Philosophumenon* ex Irenaeo ducta haec sunt. *Philos.* VI, 38 ex Iren. I, 11 §§ 2, 5; I, 12.-*Phil.* VI, 39 seqq. ex Ir. I, 13 §§ 1, 2; I, 14.-15 § 3; I, 16 §§ 1, 2; I, 17 §§ 1, 2; I, 18. - *Phil.* VII, 28 ex Ir. I, 24 §§ 1, 2. - *Phil.* VII, 32. ex Ir. I, 25 §§ 1-4, 6. - *Phil.* VII, 33 ex Ir. I, 26 § 1. - *Phil.* VII, 35 ex Ir. I, 26 § 3. - *Phil.* VII, 37 ex Ir. I, 27.

2 Iren. - *Adv. haer. III*, 3 § 2.

3 Id. - *Adv. haer. I*, 25.

4 *Philos.* - *VII*, 33.

5 *Phil.* - X, 21.

an *auctoritatis* (αὐθεντίας) vocabulum adhibuerit. In hunc finem satis esset animadvertere, vocem ἐξουσίαν in latina Irenaei versione constanter efferri vocabulo *potestatis*, ut censeremus non ἐξουσίαν sed αὐθεντίαν ab Irenaeo fuisse nominatam. Verum accedit alius Irenaei locus de Cainitarum haeresi, ubi eadem vox latina *principalitatis* recurrit, cui apud Epiphanium ac Theodoretum αὐθεντίας vocabulum respondet [1]. Non igitur πρωτεῖον aut πρωτείαν, non ἀρχὴν aut ἀρχαιότητα scripsit Irenaeus, quas locutiones acatholici, repugnante licet orationis ductu, ad meram ecclesiae romanae antiquitatem pertinere statuerunt; verum huiusmodi vocabulo usus est quod nihil aliud quam veri nominis auctoritatem significat [2]. Quare licebit iam probabiliorem eius testimonii lectionem ita exhibere: Πρὸς ταύτην γὰρ τὴν ἐκκλησίαν διὰ τὴν ἱκανωτέραν αὐθεντίαν δέον ἐστι πᾶσαν συμβαίνειν ἐκκλησίαν. *Ad hanc enim ecclesiam propter praepollentem auctoritatem necesse est omnem convenire ecclesiam* [3].

Ceterum etsi tam multa heic ex Irenaeo expressa leguntur, non desiderantur tamen sive de obscurioribus aliquot haeresibus novae relationes, sive uberior expositio earum haereseon quae par-

1 Iren. - *Adv. haer. I*, 31 coll. Epiph. - *Haer. XXXVIII* et Theod. - *Haer. fabb. I*, 14.

2 Simili locutione usus est Tertullianus de Paulo apostolo ita scribens (*Adv. Marc. IV*, 2): *Propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos et consultandos, ne forte in vacuum cucurrisset, id est, ne non secundum illos credidisset et non secundum illos evangelizaret: denique ut cum* auctoribus *contulit et convenit de regula fidei.*

3 Priscus interpres voce *principalitatis* reddidisse videtur αὐθεντίας vocabulum spectata nominis origine a vocabulo αὐθέντης quod *principem* quandoque significat, uti quum dicitur apud Euripidem (*Supplic.* v. 442) Δῆμος αὐθέντης χθονός. Quod attinet ad *potentioris* appositum, quo tum heic tum alias (Iren. III, 3 § 3) vertitur adiectivum ἱκανωτέρου, id ea ferme ratione adhibitum est, qua semel atque iterum apud latinum Bibliorum interpretem ὁ ἱκανὸς redditur *omnipotens*. Ex quo fortasse apud Hesychium et Phavorinum aequipollentia sunt ἱκανότης, δύναμις, ἰσχύς. Ceterum adiectivum illud et apud classicos auctores interdum significat *parem cuipiam rei faciendae*, hoc est, *potentem*, ut apud Herod. 3, 45 et Plat. De rep. p. 371 E. ed. H. Stephani.

tim a vetustioribus partim a recentioribus haereseologis notae iam erant. Nova porro est apud auctorem enarratio haereseos *peraticae*, quam nempe unus Theodoretus ex epilogo huius operis acceptam transcribit. Nam inter vetustiores unus exstat alexandrinus Clemens qui *Peratarum* nomen obiter commemorat [1]. Horum autem haereticorum tum dogmata fuse auctor enarrat tum librum quemdam allegat inscriptum Οἱ προάστειοι ἕως αἰθέρος *Aetheris accolae suburbani*, ex quo notabile fragmentum affert. Nova est apud eumdem explicatio dogmatis quod Iustinus gnosticus adornavit. Nova item propositio haereseos quam arabs Monoimus induxit.

Ad pleniorem haereseon enarrationem referenda est relatio de Simone samarite, cuius quidem commenta prolixe satis explicantur, praestigiae vero repetuntur ex arte Thrasymedis, mors denique aliter quam a volatu et lapsu contigisse traditur. *Quum hic* (inquit auctor) *ad exitum accederet*, *profectus* (Gitten?) *sub platano sedens docebat. Quumque iam prope esset ut revinceretur eo quod senesceret, dixit, surrecturum se tertio die si vivus fuisset sepultus. Et iam, ut iusserat sepulcrum effodi a discipulis, imperavit ut sepeliretur. Hi quidem imperata fecerunt: at ille iacuit ad hanc diem: neque enim erat Christus* [2]. Insuper excerpta proferuntur e Simonis opere quod *Magna declaratio* Ἀπόφασις μεγάλη inscriptum erat. In his priscus ille haereticorum coryphaeus praeter Matthaei evangelium allegat etiam priorem Pauli ad Corinthios epistolam quae non ante Pentecosten anni christiani quinquagesimi secundi data est; undo apparet, non ante id temporis *Declarationem* illam fuisse compositam. Allegantur autem haec novi foederis instrumenta non aliter ac veteris, tanquam divino instinctu exarata, uti efficitur ex diserta exceptione Prophetarum quos veluti *ab angelis mundi conditoribus*

1 Clem. *alex.* - *Strom. VII*, 17 *ed. Pott.*

2 Οὗτος ἐπὶ τέλει ἐλθὼν ἐν τ . . . . τη, ὑπὸ πλάτανον καθεζόμενος ἐδίδασκε. Καὶ δὴ λοιπὸν ἐγγὺς τοῦ ἐλέγχεσθαι γινόμενος διὰ τὸ ἐγχρονίζειν ἔφη ὅτι εἰ χωσθείη ζῶν, ἀναστήσεται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Καὶ δὴ τάφρον κελεύσας ὀρυγῆναι ὑπὸ τῶν μαθητῶν ἐκέλευσε χωσθῆναι. Οἱ μὲν οὖν τὸ προσταχθὲν ἐποίησαν, ὁ δὲ ἀπέμεινεν ἕως νῦν· οὐ γὰρ ἦν ὁ Χριστός. *Philos.* - VI, 20.

inspiratos ἐμπνευσθέντας haereticus ille reiiciebat. Quo illud quadantenus confirmatur, eodem in pretio iam tum fuisse instrumentum novi ac prisci foederis apud christianos quibus ille imponere studebat. Ex iisdem excerptis patet inanitas argumenti, quo epistolam Ignatii martyris ad Magnesios nonnulli repudiarunt: quum constet iam Σιγὴν ab Ignatio memoratam din ante Valentinum in aeonologia simoniana locum habuisse [1]. Mitto, ne sim nimius, novum auctoris testimonium de Petri apostoli in Urbem adventu, quod ceteroquin ad rei testatissimae confirmationem supervacaneum videri potest.

Enarratio dogmatis basilidiani notabilem hiatum complet ab Irenaeo relictum in referendo basilidianae γνώσεως principio quod *transcendentis* cuiusdam pseudophilosophiae imaginem refert. Ex articulo qui de Naassenis est, intelligimus, inde ab altero seculo sectam exstitisse quae iudaicum atque indecorum Naassenorum nomen in graecam honestioremque Gnosticorum appellationem demutavit [2]. Ex eo qui ad Valentinum refertur, discimus, Valentinianos olim in duas discessisse factiones, *italicam* atque *orientalem*, quarum prior *animale*, altera *spiritale* corpus Christo tribuebat [3]. De Sabellii aetate parum distincte meminerant veteres eamque propterea recentiorum aliqui minus recte constituerant, quod recrudescentem sabellismum pro subnascente accepissent [4]. Scriptor hic Sabellio coaevus aperte testatur, Zephyrino pontifice Sabellium Romae fuisse, eundemque errori contumaciter addictum extra Ecclesiam a Callisto pontifice fuisse exactum.

Omitto in praesens prolixam illam plenamque livoris narrationem de vita et gestis beati pontificis Callisti, quam suo loco expendam. Illud tamen interea praetermittendum non videtur quod rectissime a Cruicio notatum memini [5]: quaedam nem-

1 *Philos.* - VI, 18.

2 Ibid. - V, 6 p. 94 *coll.* IREN. - *III*, 4 § 3.

3 Ibid. - VI, 35.

4 EUS. - *H. E. VII*, 6 coll. PETAV. - *Chronolog. ad an.* 257, TILLEMONT. *Mem. T. IV. Heres. des Sabelliens, all.*

5 CRUICE. - *Études sur de nouveaux documents* cet. *pag.* 261. *Paris*, 1853.

pe accusationum capita quae ibi proponuntur, materiem habere non absimilem illi quam binae epistolae praeferunt in collectione pseudisidoriana Callisto suppositae. Unde intelligitur, antesiricianas epistolas non omnino ad libidinem fuisse confictas, at praeeuntibus aliquot christianae vetustatis monimentis quae nobis aevum invidit. — Facile fuerit ex aliis eiusmodi emolumentis, quae hoc ex opere peti possunt, vel iustae magnitudinis volumen conficere, sed ea, quae hactenus allata sunt, satis superque fore arbitror ad specimen ceterorum quae in eodem opere latent.

CAPUT VIII.

Philosophumena merito abiudicata sunt Origeni, quamquam eius nomine iampridem inscripta fuerint.

Vindicata, ut par erat, operis vetustate, insitoque illius pretio constituto, ad examen revocandae veniunt propositae hactenus opiniones de scriptore operis, initio ducto ab ea quam vetus eiusdem operis titulus obtendit. Quatuor enim exemplaria vulgati dudum prioris libri, non ea quidem admodum antiqua sed lectionum varietate discrepantia, Origenis nomen praefixum habent. Praeterea codex ipse parisiensis, qui principio caret, ad calcem, ubi summa christiani dogmatis exponitur, monumentum hoc praefert minio notatum; Ὠριγένης καὶ Ὠριγένους δόξα, *Origenes atque Origenis doctrina*. His auctoritatibus nixa est opinio eorum qui hanc lucubrationem Origeni tribuerunt. Verum ubi paucitas exemplarium neque a vetustate sua neque a concordi veterum testimonio fidem inscriptioni conciliat, expendi sedulo debuisset, caderent nec ne in Origenem lineamenta omnia quae scriptor tam alte impressa in hoc volumine reliquit. Quod quum alii plures diligenter exsecuti fuerint, iidem, meo iudicio, vicerunt, hanc lucubrationem Origenis non esse.

Enimvero alexandrini illius in scribendo concinnitatem cum ubertate coniunctam frustra quaesieris hoc in opere quod neque aequabilem orationis fluxum, neque numerum neque texturam

Graecorum propriam exhibet. Deinde, ut stilo, sic opinionibus differunt inter se Origenes atque auctor huius operis. Potuerit sane Origenes eo nomine haeresiarchas redarguere quod e media ethnicorum philosophia suos duxerint errores. Is profecto qui philosophorum pronunciata christianae veritati propugnandae non infrequenter adhibuerat, accurate secrevisset ea quae vere ac recte ab iis quae perperam iidem philosophi protulerant [1]. Ad haec minime putaverim, libere adeo duriterque de astrologis detracturum fuisse Origenem qui nescio quam in astris futurorum significationem fuerat commentus eandemque tum angelis patere tum etiam hominibus per angelos apostatas patefieri posse docuerat [2]. Placuit super haec Origeni mira quaedam rerum omnium, etiam cacodaemonum, in pristinum ordinem restitutio, ἀποκατάστασις, quae certe componi nequit cum iis quae auctor in calce operis de postremo atque immutabili malorum hominum statu docet. Denique quo pacto fieri potuit ut Origenes haereticis accenseret Melchisedecianos quorum de Melchisedeco placitum ipse sequebatur [3]? Non potest igitur Origenes cum huius operis auctore confundi quorum alterum ab altero pugnantes opiniones discriminant.

Idipsum confirmatur tum ex diversa utriusque habitudine ad romanam ecclesiam tum ex diverso ecclesiasticae hierarchiae gradu quem quisque eorum occupavit. Scriptor quippe huius operis cum hac ecclesia nexus intime fuit pluresque omnino annos vel in Urbe ipsa vel certe in proximo traduxit. Origenes contra neque adeo diuturnam neque eiusdem modi consuetudinem habuit cum romana ecclesia, quippe qui ut plurimum Alexandriae vel Caesareae moratus est, nec Romae fuit nisi brevi admodum mora sub pontifice Zephyrino [4]. Praeterea Origenem fuisse secundi ordinis sacerdotem, non ipse solum affirmavit scribens: *Plus a me exigitur quam a diacono; plus a diacono quam a laico: qui vero totius*

1 V. Method. *ap.* Phot. *Cod. CCXXXV*, *et* Hier. - *Ad Pammach. ep. LXXXIII.*

2 Orig. - *Comm. in Gen. ap.* Eus. *Praep. evang. VI.*

3 Hieron. - *Ep. CXXVI.*

4 Eus. - *H. E. VI, 14*; Hieron. - *De Scriptt. eccl. n. LIV.*

ecclesiae arcem obtinet, pro omni ecclesia reddet rationem 1: verum etiam alii post eum omnes qui de eiusdem sacerdotio meminerunt. Nemo tamen unquam vel susceptum vel occupatum ab illo episcopatum dixit: etsi tot exstiterint eius laudatores, adversarii vero fortasso plures. Atqui auctor huius libri episcopatum certe sibi adscribit ubi ἀρχιερατείαν sive *summum sacerdotium* sibi tribuit. Namque ἀρχιερέως, *summi sacerdotis* appellatio, quae κατ' ἐξοχὴν Christi propria est in novi foederis instrumento, apud ecclesiasticos scriptores vel nominatim primae sedis episcopis 2, vel generatim universo episcoporum ordini significando adhibetur 3: nuspiam vero, quod norim, secundi ordinis sacerdotes designat. Qua de re memoratu dignum occurrit decretum quoddam seculo Ecclesiae quarto editum ab episcopis afris, quo ipsimet eius provinciae metropolitani iubebantur appellari *tantum primae sedis episcopi, non principes sacerdotum aut summi sacerdotes*, id est, ἀρχιερεῖς: quae appellatio in latina Bibliorum interpretatione iis omnino vocabulis redditur 4. Denique quum auctor summo cum sacerdotio sibi vindicet apostolicam successionem, apostolici charismatis participationem, magisterium, Ecclesiae custodiam, ipsam adeo ferendi anathematis potestatem 5, quid ultra requiritur ut intelligamus, eum sibi dignitatem tribuere *pastoris et doctoris* ad regendam Ecclesiam divinitus constituti? Sed nimirum, tametsi cetera deessent, vel una illa mitissimi ingenii lenitas, quam spirant universae Origenis disputationes, satis esset huic lucubrationi ab eodem abiudicandae, quae fastus, asperitatis atque irae

1 Orig. - *Inter opp. Hieronymi ed. Vallars. T. V, col.* 810.

2 Synes. - *Ep. LXVII;* Theodoret. - *H. E. I,* 3. *IV,* 5; *Conc. later. sub Martino I. - Act. II;* Eulog. alex. - *Ap. Phot. Cod. CCLXXX; Conc. nic. II. - Act. I;* Phot. - *Ep. ad Mich.* § 1 *et De Sp. s. mystag.* § 84; all.

3 Tert. - *De bapt. c. XVII;* Hieron. - *Cont. Lucif.; Auctor quaestt. v. et n. test. - Q. CI.;* Symeon thes. - *De sacris ordd.;* Alex. - *Novel. de electionib.;* all. passim.

4 *Conc. carth. III. - Cap. XXVI.*

5 *Philos. - Prooem. pag.* 3. *et IX,* 12. *pag.* 290 collato canone apostolico XXXVIII, quique illi subiicitur, Zonarae commentario.

plenissima est [1]. Igitur scribendi iuxta et cogitandi modus, vitae ratio, ecclesiasticae hierarchiae gradus, indoles vel una scriptoris, quam hoc opus praefert, ad Origenem transferri nullo pacto possunt.

CAPUT IX.

Caius ille qui Zephyrino pontifice inclaruit, auctor huius operis existimari non potest.

Examinanda nunc essent momenta eorum qui pseudepigraphis *Philosophumenon* exemplis pro nomine Origenis nomen Hippolyti hieromartyris praefigendum censuerunt. Sed quum eius opinionis examen paullo operosius futurum videatur, placet in antecessum expendere sententiam serius prolatam quae Caium, Zephyrini pontificis aequalem, huius operis auctorem facit.

Ut Caius *Philosophumenon* scriptor haberetur, effecit mentio, quam infert auctor *(Philos. X, 32)*, compositi a se libri *De essentia universi* Περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας, simulque testimonium Photii qui huiusmodi librum a Caio compositum fuisse prodidit. Verba Photii siquis requirat, haec sunt. *Comperi adnotatum fuisse, hoc opus non esse Iosephi, sed Caii cuiusdam presbyteri Romae agentis, quem et auctorem faciunt Labyrinthi, cuius est etiam dialogus adversus Proclum quemdam haereseos Montanistarum defensorem. Quum enim sine titulo opus relictum fuisset, alii quidem Iosepho inscriptum referunt, alii Iustino martyri, nonnulli Irenaeo, quemadmodum et* Labyrinthum *Origeni quidam tribuerunt. Ceterum Caii reipsa est qui* Labyrinthum *composuit; quando idem ille in extremo* Labyrintho *testatum reliquit, esse se auctorem libri* De essentia universi. *Verum hic ne liber ille sit an alius, nondum mihi liquet* [2].

1 Speciminis gratia conferri potest Origenes *in epistolam Pauli ad Romanos* cum auctore *Philosophumenon VIII*, 20.

2 Phot. - *Cod. XLVIII*.

Ex his conclusum est, Caium fuisse *Philosophumenon* auctorem. Cui tamen consecutioni non desunt exceptiones quae opponi possint, sive externa, quibus innititur, sive interna perpendantur argumenta. Tota enim illa conclusio unice vertitur in gemino Photii atque anonymi nescio cuius hominis testimonio. Atqui anonymi cuiuspiam auctoritas, qui ad marginem unius codicis adscripsit Caii nomen, tanti non est ut controversiae nodum expediat. Eius quippe aetas, eruditio, cetera omnia, ex quibus aestimari auctoritas potest, penitus ignorantur. Unum igitur superest Photii testimonium. Sed parum ponderis ex illo accedit eidem opinioni, siquidem sententia Photii partim anonymi illius auctoritate nititur, partim ex quadam ipsius hallucinatione repeti fortasse debet. Quorum alterum ita mihi persuadeo. Secernit eo loco Photius *Labyrinthum* a libello in Artemonem scripto atque utramque lucubrationem Caio tribuit. E photiano tamen contextu apparet, libellum adversus Artemonem a Photio lectum non fuisse. At vero scriptus contra Artemonem libellus, teste Theodoreto [1], titulum habuit *Parvus labyrintus* Ὁ σμικρὸς λαβύρινθος, idemque a nonnullis Origeni tribuebatur aeque ac *Labyrinthus* a Photio memoratus. Num igitur duos libros a Caio scriptos censebimus, quorum alter *Labyrinthus*, alter *Parvus labyrinthus* inscriptus esset? Nemo veterum, quod norim, id memoriae prodidit. Veri ergo similius est, Photium vel inscriptione vel exordio libri deceptum accepisse decimum *Philosophumenon* librum pro uno eodemque Caii opere cui titulus fuit *Parvus labyrinthus* [2]. Quamobrem Photii testimonium nihilo gravius est quam quod ab illo ignoti nominis auctore dictum fuerat. Unde efficitur, hanc sententiam de Caio *Philosophumenon* auctore externis argumentis, quae gemino illo testimonio continentur, defendi non posse. Perpendamus iam internas rationes quae in comparatione sitae sunt huius operis cum gestis Caii.

Ne dubia cum certis misceantur, praetermitto indicium ex eo petitum quod auctor huius confutationis de Artemone haeretico ta-

1 Theodoret. - *Haer. fabb. II*, 5. coll. Niceph. - *Hist. IV*, 21.

2 Recole superius dicta capite quarto huius commentarii.

ceat, quum Caius edito libro Artemonem petiisse vulgo censeatur. Ut enim nihil habeo quod vulgatae opinioni repugnem, sic testatum satis non arbitror, eius libri auctorem Caium exstitisse. Eusebius certe opusculum illud nullo auctoris nomine inscriptum dicit, etsi anonymum aucterem ex internis indiciis ad Septimii Severi tempora retulerit [1]. Misso autem Hieronymo (quem libellus ille plane fugit), Theodoretus haec solum de illo affirmavit, ei titulum fuisse Ὁ σμικρὸς λαβύρινθος eumque a nonnullis esse Origeni perperam adscriptum [2]. Unus igitur superest serus admodum eius rei testis Photius, qui tamen ipse scriptum contra Artemonem opusculum legisse non videtur.

Ceterum pauca illa, quae de Caii doctrina gestisque novimus, eiusmodi sunt ut in auctorem *Philosophumenon* cadere nequaquam possint. Hic certe, quacunque se occasio dedit, iactāre sua in haereticos gesta nuspiam omittit. At si Caius ipse hanc refutationem elaboravit, qui factum est ut minime commemoraret Procli montanistae confutatienem a qua eum prisci tantopere laudarunt? Imo vero quam ob caussam, ubi duplicem Montanistarum sectam recenset [3], de Proclo alterius magistro plane silet? — Rursum ex veteribus accepimus, scripsisse Caium contra Cerinthum, eiusque sententiam de mille annorum regno refutasse [4]. Iam vero auctor *Philosophumenon* non modo brevissime de Cerintho loquitur, quin legentes revocet ad opus contra Cerinthum (ut alias in ceteris consuevit [5]) sed ne meminit quidem illius opinionis, sive de Cerintho agat, sive de Mentanistis, sive ubi prolixius disserit de Marcione, qui tamen omnes in ea epiniene fuerunt. Id nimirum argumento est, insignem illum chiliasmi et montanismi expugnaterem huius operis auctorem non fuisse. — Denique ut concedāmus, virum illum egregie orthodoxum eundemque a profligatis haereticis perillustrem ab Ecclesiae gremio discedere aliquande potuisse, quis

1 Eus. - *H. E.* *V*, 27, 28.
2 Theodoret. - *L. c.*
3 *Philos.* - *VIII*, 19.
4 Eus. - *H. E. III*, 28; Theodoret. - *Haer. fabb. II*, 3.
5 *Philos.* - *VII*, 39. coll. *IX*, 3; X, 30, 32.

3

credat, huiusmodi defectionem adeo nullo sonitu factam esse ut nemo veterum eam commemorarit? Sed enim ex nono huius refutationis libro luculentissimo patet, illius auctorem adeo catholicae communioni infensum fuisse, eundemque publicum discordiarum satorem odiorumque incentorem adeo vehementem, ut orthodoxi doctores eius nomini ac memoriae parcere nullo pacto potuerint. Caius igitur, cuius fides ac professio in dubium revocata nunquam est, huius libri scriptor existimari non potest.

CAPUT X.

Summa indiciorum quae Hippolytum auctorem designare videntur.

Seposita licet virorum auctoritate, qui *Philosophumena* Hippolyto episcopo adscripserunt, summa indiciorum, quae Hippolytum demostrant huius libri auctorem, eam praefert veri speciem, ut, nisi peculiares obsisterent difficultates, ea sententia se criticis unice probaret. Itaque operae pretium est, heic universa percensere argumenta, quae illi opinioni fidem conciliant, ut deinde singula pro dignitate perpendantur. Eorum primum ac potissimum exsurgit e mentione operis Περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας *De essentia universi* quod auctor *Philosophumenon* uti suum appellat. In catalogo quippe operum, qui cum paschalibus Hippolyti cyclis prostat etiamnum incisus cathedrae marmoreae admodum vetustae, exaratus est titulus Πρὸς Ἕλληνας καὶ πρὸς Π(λ)άτωνα ἢ καὶ περὶ τοῦ παντὸς, *Adversus Graecos atque adversus Platonem vel etiam de universo.* Ne vero tituli discrimine moveamur, ipse impedit Photius qui memorato superius loco testatur, opus Περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας in refellenda Platonis doctrina versatum esse, idemque alias Περὶ τοῦ παντὸς, *De universo*, alias Περὶ τῆς τοῦ παντὸς αἰτίας, *De caussa universi* inscriptum circumferri consuevisse. Unde liquido perspicitur, opus a *Philosophumenon* auctore elaboratum illud esse ipsum quod inter opera Hippolyti iampridem relatum reperitur. Porro huius opinionis defensores de illius catalogi authentia nihil esse

contendunt quod ambigamus. Hippolyti enim sedentis simulacrum, ad quod catalogus ille pertinet quodque nunc Romae visitur in museo christiano lateranensi, Winckelmanni iudicio aetatem refert Severi Alexandri: neque arbitrari licet, paschales Hippolyti cyclos operumque titulos seriori aevo adscriptos esse, quando nimirum nullus iam erat fallacis illius canonis usus, graecaeque linguae studium ab Romanis negligi dudum coeperat. Opus igitur *De universi essentia* Hippolytum clamat *Philosophumenon* auctorem. Atqui reliquae etiam auctoris lucubrationes Hippolyto apprime congruunt. Nam quod principio auctor scribit, se olim breviter haereticorum placita refutasse, id apte cadit in Hippolytum, cuius βιβλιδάριον id est *libellulus* adversus haereses a veteribus laudatus est [1]. Ad haec memorati ab auctore libri [2], quibus de Palaestina, de arca Noë, de gentibus duabus supra septuaginta pro sermonis diversitate discretis deque aliis nescio quibus vel obiter vel data opera agebatur, ii commode revocantur ad biblicos Hippolyti commentarios. Cuncta igitur indicia ex auctoris operibus expressa in Hippolytum conspirant.

His enimvero consentiunt quae ex doctrinarum comparatione peti possunt. Namque eadem utrique ratio est disserendi de divina Trinitate, de Verbi origine atque inhumanatione, de mundi creatione. Eadem utrique opinio de Nicolaitis quorum nempe signifer utrobique Nicolaus protodiaconus perhibetur: eadem de gentium numero qui ex confusione linguarum exstiterit. Super haec Bunsenius animadvertit, astronomiae cognitionem, quam praetendit auctor, belle in Hippolytum quadrare paschalis cycli conditorem, nec facile aliis ex occidente scriptoribus per eam tempestatem affingi posse.

Denique admisso, Hippolytum esse *Philosophumenon* auctorem, haud aegre intelligitur, cur clari adeo scriptoris memoriam veteres quadam veluti nebula involutam posteritati trasmiserint.

1 Eus. - *H. E. VI, 22*; Hieron. - *De script. eccl. n. LXI*; Phot. - *Cod. CXXI.*

2 *Philos.* - *X*, 30.

Fuisset enim Hippolytus, quemadmodum huius operis auctor, vel in ipsa Urbe vel certe in Urbis vicinia sacrorum antistes qui post lenitam a Callisto pontifice piacularem disciplinam ab romana communione descivit sectaeque severioris auctor extitit. At idem ille Hippolytus, uti ex veteribus accepimus, quindecim ferme post annos Christi martyr occubuit eiusque rei gratia insignem locum in Ecclesiae fastis nactus est. Revocarit igitur oportet veterem errorem, quaquo erat inter suos discipulos existimatione, maximam suae sectae partem ab errore deduxerit. Ita fieri potuit, ut illa brevissimi aevi factio vix aliquod vestigium post se relinqueret, itemque ut scriptores Hippolyto posteriores a commemoranda Hippolyti secessione temperarent. Hinc mira illa ignoratio sedis, quam certe Hippolytus tenuit, quamque nihilominus Eusebius ignoravit ac Hieronymus *scire non potuit*. Quamquam popularis rumor aliquis de Hippolyti discessu ac reditu permanasse videtur ad aures Prudentii qui utrumquo in laudem Hippolyti martyris versa oratione commemoravit 1. Et sane Hippolyti simulacrum anno MDLI ex agro verano Romae effossum est non longe a loco quo Hippolytus a Prudentio laudatus anniversaria gratulatione palam colebatur. Neque ab auctore *Philosophumenon* alienum est erroris ac discidii genus quod ab Hippolyto paullo ante obitam pro Christo necem revocatum Prudentius cecinit his verbis: *Fugite, o miseri, exsecranda Novati Dogmata: catholicis reddite vos populis.* Etsi enim novatianensis schismatis aetas ab Hippolyto abhorret, accuratam temporum rationem quis requirat in vulgi relationibus ex quibus haustum videtur eius carminis argumentum? Ceterum seculis sexto, septimo, octavo non defuerunt in oriente scriptores qui vel romani vel portuensis episcopi apposito Hippolytum distinguerent. Neque de eodem Hippolyto, qui anteactae vitae labes fuso sanguine abluerit, desideratur testimonium his verbis conceptum in historia Nicephori Callisti: *Temporibus Severi Hippolytus etiam Portus romani episcopus floruit... Quaedam porro eius scripta quum reprehensione non careant,*

1 PRUDENT. - *Peristeph. hymno XI.*

martyrio postea pro Christi nomine absoluto, ignorantiae suae maculam detrivit atque detersit [1]. Omnia igitur commonstrant, Hippolytum episcopum huius voluminis auctorem fuisse.

CAPUT XI.

Alius Hippolytus cycli paschalis conditor et plurium operum scriptor, alius vero cognominis in Urbe secus viam tiburtinam honoratus.

Cumulate arbitror aut certe fideliter satis proposita esse superiore articulo momenta rationum quae in sententiam de Hippolyto *Philosophumenon* auctore non paucos clari nominis criticos inclinarunt. Quarum equidem aggressurus examen probe sentio, atque alios itidem sentire censeo, momentum omnium maximum esse in auctoritate veteris illius catalogi, si modo semel agnoscatur unitas libri *De universo* seu *De essentia universi* quem unum eumdemque alterutra inscriptione distinctum fuisse Photius affirmat. Sed quoniam controversia de auctore *Philosophumenon* historicis innexa est consectariis momenti gravioris, de his primo disceptandum esse puto, ut aequius deinceps de catalogi auctoritate deque illius tituli significatu iudicemus.

Placet ordiri ex controversia de illius Hippolyti persona cuius memoriam in Tiburtina idibus Augusti Romae observatam scimus. Quod multo ante Prudentium bucheriana *Depositio martyrum* ostendit. Quaero itaque utrum Hippolytus ille haberi possit pro cognomine episcopo et martyre, quem cycli paschalis inventio aut concinnatio quemque editi in sacras litteras commentarii notum orbi fecerunt? Profecto si clarus ille vir, ex Irenaei discipulo doctor Ecclesiae, tanta religione depositus est Romae, tantaque civium et peregrinorum frequentia cultus inde saltem ab ineunte seculo quarto, id eo seculo labente doctissimi quique cives hospitesque ignorare non potuerunt. Est autem scriptor eorum

1 NICEPH. CALLIST. - *H. E. IV*, 31.

temporum (unus quidem, sed omnium instar habendus) quem de ea re opportune interrogemus, Hieronymus, cui Romae ante Prudentium longe diligentius romanorum martyrum memoriae conlustratae sunt. Namque adhuc iuvenis ab anno circiter CCCLXIII ad annum CCCLXIX in Urbe institutus est, atque, ut erat spectandi sciendique cupidissimus, martyrum cryptis studiose succedere consuevit 1. Tum reversus Romam anno CCCLXXXII, interque romanos presbyteros cooptatus, ab epistolis fuit Damaso pontifici, qui sane martyrum conquisitor et cultor nemini secundus idemque sacrorum interpretum studiosissimus erat, uti eius opera testantur. Potuit igitur Hieronymus tum e publicis monumentis, tum e Damasi consuetudine, tum e consultis romanae ecclesiae archivis longe plura et sepositiora rescire de Hippolyto, quam alius quispiam e coaevis hominibus. Neque profecto ambigi potest num pervestigatae ab eo nominatim fuerint veterum memoriae de Hippolyto, quippe qui ante sesquisecnlum vixerat ac nobilissima studiorum cognatione et quasi affinitate cum eo coniunctus inclaruerat. Ut enim nemo ignorat, quam studiose Hieronymus ecclesiasticorum scriptorum monimenta conquisierit, sic neminem latet, quantam ille operam sacris litteris (accedente praesertim Damasi hortatu), quantam sacris interpretibus Romae navarit. — Iam vero Hieronymus plane ignoravit, clarissimum ac forte primum Bibliorum enarratorem, eumdemque chronographum, cycli paschalis conditorem, ac theologum insigniter doctum, episcopum et martyrem Hippolytum Romae secus Tiburtinam compositum honorari. Apparet id luculenter ex libro *De scriptoribus ecclesiasticis* seu *De viris illustribus* quem ipse anno christiano CCCXCII vulgavit. Solet quippe ibi Hieronymus locum, quo quisque decessit vel rite depositus iacet, moram etiam quam externus quisque scriptor in Urbe fecit, sicubi notum sit, commemorare 2. Verum ut ad Hippolytum venit, nullam romanae *deposi-*

1 Hieron. - *In Ezechiel. XL, et ep. CVII ad Laetam, ed. Vallars.*

2 Consule citati operis articulos XV, XVI, XXIII, XXXVII, LIV, LVIII, LXII, LXXV, LXXVI, LXXVII, LXXXIII, XCI; C.

tionis, nullam commorationis in Urbe, nullam martyrii mentionem infert 1. Igitur neque Hieronymus, neque Damasus, neque siqui fuerunt alii seculo illo annalium ecclesiasticorum scientes martyrem Tiburtinae habuerunt pro cognomine episcopo qui doctrinae simul et martyrii laude floruerat.

Neque vero marmoreum Hippolyti signum seculo sextodecimo propter aedem S. Laurentii extra moenia detectum, non ita procul ab Hippolyti romani crypta quidquam contra evincit. Prudentius certe, qui universum cryptae ornatum accuratissime describit, nullam simulacri mentionem facit. Hieronymus autem, qui, dum scripta Hippolyti commemorat, censum exhibet diversum a catalogo statuae adscripto, vel statuam non vidit, vel (quod minus crediderim) eum catalogum haud magni fecit. Quare similius veri est, seculo quarto monimentum illud minime exstitisse.

Dicet fortasse quispiam, huiusmodi signum ex Hippolyti discipulis repeti posse, qui magistri simulacrum sculpendum curarint, quando is una cum Pontiano pontifice iussu imperatoris *in insulam nocivam Sardiniam* ablegatus est, idemque postea everterint simul ac de Hippolyti conversione ac martyrio nuntium accepere. Sed de hac opinione sermo infra redibit. Nunc illud animadverto, aut nihil e statuae situ extundi posse ad controversiam de uno vel duplici Hippolyto dirimendam, si statua loco mota est ante Hippolyti depositionem; aut certe stabiliorem fuisse futuram Hippolyti episcopi memoriam, si crypta deinde dicata fuisset Christi *martyri* ubi antea simulacrum *doctori* schismaticorum fuerat excitatum. Moneo praeterea, Hippolytum illum deportatione multatum (ut legitur in albo pontificum bucheriano) nulla ratione pro Hippolyto episcopo haberi posse. Fuerit sane Hippolytus, qui exilium cum Pontiano tulit, secus Tiburtinam sepultus; quando in *Deposi-*

1 HIERON. - *Op. c. n. LXI.* Qui tamen hunc Hippolytum *martyrem* appellat in praefatione commentariorum in Matthaeum. Praeter Hieronymum hoc apposito Hippolytum insignit Theodoretus (*Haer. fabb. III*, 1), Gelasius (*De duab. Chr. nat.*), auctor *Chronicon paschalium*, patres lateranenses sub Martino I pontifice (*Secr. V*), Anastasius apocrisiarius (*Ad Ioh. diac.*), Photius (*Cod. CCII*), alii recentiores.

tione martyrum unus idemque dies Hippolytum cum Pontiano honoratum exhibet. Profecto quum in eodem orationis inciso Hippolytus quidem dicatur *presbyter*, Pontianus vero *episcopus* appelletur, non potest ille censeri unus idemque atque Hippolytus quem christiana vetustas universa *episcopum* nominavit. Quapropter iis assentiri non possum qui cum Kirchoffio arbitrantur, *Hippolytum* episcopum *Portus urbis Romae et* presbyterum *ecclesiae romanae cum Pontiano pontifice in Sardiniam insulam esse relegatum* 1.

Quid iam censebimus de schismate novatianensi, quo implicitum fuisse suum Hippolytum Prudentius dixit? Nemo, opinor in poetis quaeret summam illam fidem, qua ut res narrentur ab historicis, merito postulamus; neque proinde admodum pugnabit ut a metacronismi nota Prudentium liberet. Ceterum etsi admittatur, hunc Hippolytum fuisse illum, qui cum Pontiano in Sardiniam est amandatus, non video, cur ipse non potuerit ab exilio redux decipi a Novatiano perinde ac alii confessores qui deinde et ipsi ad Ecclesiam redierunt. Cypriani silentium nequicquam obiicitur, si forte Hippolytus eadem illa clade sublatus est quae Cyprianum caelo transmisit. Neque ex lapsu temporis gravior ulla difficultas oboritur. Qui enim solum vertere adactus fuerat anno CCXXXV, is potuit anno CCLVIII martyr occumbere in teterrima illa Valeriani insectatione quae sacerdotes potissime petebat. Sed haec digressio parum aut nihil ad rem nostram; illud statuere posse mihi videor, quod initio propositum fuerat, alium esse Hippolytum ab editis operibus insignem, alium vero Hippolytum Romae in Tiburtina sepultum atque honoratum.

1 Kirchoff, - *Corpus inscr. graecarum, Berolini* 1859 p. 281.

CAPUT XII.

Auctoris habitus erga Ecclesiam pugnat cum sententia de Hippolyto scriptore Philosophumenon.

Discrimen modo adsignatum intor Hippolytum Tiburtinae atque Hippolytum Ecclesiae doctorem non parum ponderis detrahit eorum rationibus qui Prudentii carmen ad Hippolyti episcopi defectionem retulerunt. Verum post edita *Philosophumena* in Prudentii carmine agnoscenda forte videbitur quaedam adumbratio schismatis quod Hippolytum episcopum habuerit auctorem; quatenus nempe sesquiseculo interlapso Hippolytus episcopus cum cognomine alio martyre honoratiori, atque obscurum Hippolyti dissidium cum celebriore Novatiani schismate confundi potuit. Igitur, praestituta Hippolytorum distinctione, ad trutinam revocanda superest ea suspicio, quam Prudentii versus utcumque movent, de vetustiori aliquo dissidio inter Hippolytum episcopum et romanam ecclesiam. Quod priusquam exsequor, res ipsa poscit ut ne nimis universe disceptetur de qualicumque dissidio, quod forte inter Hippolytum et Callistum pontificem intercesserit, sed nominatim de illo schismate quod auctorem *Philosophumenon* ab Ecclesia seiunxit. — Ergo, ea suspicione recepta, Hippolytus exstitisset schismaticae factionis antistes et concitator acerrimus qui non procul ab Urbe sedens Callistum pontificem uti haeresiarcham, romanam ecclesiam uti scholam haoreseon, catholicos vero universos uti haereticos traducebat.

Quaero heic primum, qui factum fuerit ut vir ille clarissimus tamdiu Romae vel in vicinia commoraretur, quamdiu ibidem mansit auctor *Philosophumenon*, publicamque inibi personam sustineret quin tamen ad posteros ulla prorsus eius rei notitia manaret? Caesariensis Eusebius, trigintaquinque annis post Hippolyti decessum natus, Hippolytum episcopum laudat inter eos, qui plurima ingenii sui monimenta reliquerunt, sed nomen sedis fuisse sibi in-

compertum, satis luculenter significat 1. Hieronymus vero, qui ecclesiasticorum operum lectione susceptisque studiorum caussa itineribus nemini concessit, quiquo tum aliorum illustrium virorum tum praesertim Hippolyti episcopi memorias venatus est, haec solum habuit quae de Hippolyti episcopatu referret: *Hippolytus cuiusdam ecclesiae episcopus (nomen quippe urbis scire non potui) rationem paschae temporumque canones scripsit usque ad primum annum Alexandri imperatoris* 2. Quam Hippolyti sedem post Eusebium et Hieronymum Theodoretus etiam ac Gelasius quinto seculo ignorarunt.

Fateor, haec mihi tanti esse ut do suburbano Hippolyti episcopatu vehementer ambigam. Si enim Hippolytus, ut recentiores non pauci exstimarunt, portuensis antistes fuit, vel certe ostiensis, uti Doellingerus contendit, id non modo alterutrius ecclesiao tabulis consignatum servari, sed, quac fuit viri claritas, externis quoque Romam commeantibus innotescere debuisset. Undo contingere vix potorat ut insequentis seculi homines eius rei cognitione carerent. Potuerit tamen Eusebii, Hieronymi, ceterorum ignoratio cum portuensi vel ostiensi episcopatu Hippolyti conciliari, quamdiu Hippolytum sive ad alteram translatum sedem sive religionis caussa diu alibi versatum suspicari licuit. Qua ratione diuturnus admodum Hippolyti incolatus in Urbe cum veterum oblivione componatur, plane non video. Nam sero nimis, id est post medium seculum sextum, a nonnullis in oriente scriptoribus coeptum est cogitari de Hippolyti episcopatu portuensi 3. Inter quos nihilominus quique eruditiores, uti Photius et Ebediesu, misso sedis nomine, Hippolytum appellare *episcopum* satis habuerunt. Quum itaque credi vix possit, illius episcopi sedem Urbi proximam, occidenti universo ignotam, post tria demum secula orienti innotuisso, arbitror orientalium sententiam invaluisso quum primum Hippoly-

1 Eus. *H. E. VI*, 20, 22.

2 Hieron. - *De script. eccll. n. LXI.*

3 Anast. sin. - *Hodeg.*; Leont. byz. - *De sectis*; Anast. apocris. - *Ep. ad Theodos. gangr.*; auctor *Chron. pasch.*; Georg. sync.; *Menaea ad d. XXX Febr.*

tus Tiburtinae, qui prope Portum martyr occubuerat, a Graecis coli cumque cognomine episcopo confundi coepit. Hinc tractu temporis fieri potuit, ut Hippolyti simulacrum, quod cycli paschalis conditori quandocumquo erectum fuerat, ad Tiburtinam non procul ab alterius Hippolyti sepulcro admoveretur. Nisi forte quis malit, unam eamdemque ecclesiam, quae Hippolyti martyris exuvias adservabat, cognominis quoquo hieromartyris memoriae sacram deinceps esso coepisse. Cuius rei exemplum Roma suppeditat in basilica beati Clementis pontificis, quae simul T. Flavio Clementi martyri sacra babetur.

Quaero deinceps utrum credibile sit, Hippolytum fuisse ducem ac stimulatorem schismaticae factionis, quae romanam ecclesiam quindecim ferme annorum spatio turbavit quin tamen Hippolyti recordatio quidquam dedecoris indo caperet? Fuit porro Hippolytus Irenaei discipulus, vulgatis adversus ethnicos atque haereticos operibus orienti iuxta et occidenti notissimus, qui forto omnium primus insignes in sacra biblia commentarios composuit quique vitandis iudaicae supputationis aberrationibus paschalem periodum in usum christiani occidentis concinnavit. Quanam, quaeso, arte cautum est ne ullum schismatici hominis indicium ex tot Hippolyti operibus emineret? Nam neque illius, quae supersunt, opuscula tale aliquid praeferunt, neque schimatici unquam tanti nominis auctoritatem catholicis obtenderunt, neque catholici quidquam huiusmodi in eius voluminibus notarunt. Quamquam, hoc etiam praetermisso, ipsa Hippolyti praestantia, ipsum domicilium, lux ipsa cathedrae ac loci exercitas ab eo cum catholicis inimicitias latere in obscuro non sivisset. Ubi enim tandem hic haereseon sator schismatisque auctor sollicitandis ad defectionem catholicis omnes eloquentiae doctrinaeque suao nervos intendebat? In ipso limine romanae ecclesiae, propo urbem imperii iuxta Ecclesiaeque universae principem, quao indigenarum externorumque doctorum frequentia, imo vero etiam haeresiarcharum commeatu celebrabatur. Atquo id per eos annos factum ponitur, quibus vertentibus, nulla Augustorum insectatio rem christianam interturbavit. Quare ignorationis et silentii caus-

sa neque in obscuritatem loci neque in praepedita christianorum commercia refundi potest.

Haec sane omnia, si animum advertamus ad haereticorum vigilantiam, excludunt etiam nescio quam reticentiae oeconomiam quam christianis scriptoribus de Hippolyto agentibus Bunsenius affinxit. Sed nimirum norunt omnes quanta ingenuitate seculo Ecclesiae tertio orientis Africaeque episcopi ecclesiastica dissidia litteris consignarint, quantaque cum libertate Hieronymus insequente seculo adversus quorumdam clericorum vitia declamare consueverit. Plane aliter cum Hippolyto schismatico actum fuisset, cuius nomen non modo nulla dedecoris nota obscuratum, sed summis commendatum praeconiis veteris illi patres ad posteros transmiserunt. Nam quarto ineunte seculo Eusebius, eodemque ad exitum vergente Hieronymus nihil nisi laudes de Hippolyti nomine litteris mandarunt. Idipsum Prosper egit seculo quinto, idipsum Theodoretus qui cum Hippolyto coniunctim Irenaeum, Ignatium martyrem, alios *fluenta spiritalium fontium* appellat 1. Sequente seculo Cyrillus scythopolitanus *sanctum patrem Hippolytum* eximie celebrat 2. Lateranenses patres sub Martino pontifice *sanctum Hippolytum episcopum et martyrem* tanquam authenticum christianae veritatis testem cient 3. Quibus assonat Anastasius apocrisiarius Hippolytum vocans *sacratissimum et magnum doctorem, veritatisque testem fidelem* 4. Neque est quod moremur Nicephori Callisti testimonium Hippolyto contrarium. Schismaticus enim ille scriptor dum Hippolytum *ignorantiae* redarguebat, ob oculos profecto suum habuit Photium qui ad *praecipitis ingenii humanaeque ignorantiae* labem refert quod Hippolytus aevum omne intra sex mille annos absolutum iri docuerat 5.

Obiiciet fortasse quispiam, Hippolytum ante martyrium revocasse quae male scripserat, ac profusa pro Christo vita resarsisse

1 Theodoret. - *Dial. III.*
2 Cyrill. scythop. - *Vita s. Euthymii.*
3 *Syn. later. sub Martino I pont. - Secr. V.*
4 Anast. apocris. - *Ep. ad Theodos. presb. gangr.*
5 Phot. - *Cod. CCII.*

quae nequiter in Christi ecclesiam commiserat. Inde factum esse ut Hippolytus confessionis ac poenitentiae suae gràtia tam multos laudum suarum praecones nactus fuerit. — Atqui primo Hippolytus non tam ut martyr, quam uti Ecclesiae doctor in honore habitus est. Deinde vero quae oblenditur Hippolyti retractatio memoriam praeteritae perduellionis non abolevisset, sed magis, ut fieri solet, perpetuasset. Per id enim temporis contigisset ista conversio (uti apposite Cruicius notavit) quod sexdecim tantum annis Novatiani rebellionem praecessit. Quam igitur ab caussam repertus est nemo qui tam clari capitis recessum ac reditum Novatiano obiectaret? Cur ea de re quamproximus eorum temporum siluit Cyprianus, qui nihil praetermisit quo schismaticos ad Ecclesiae gremium revocaret, quique propterea romanorum aliquot sacerdotum conversionem tam eloquenti oratione gratulatus est? Eventum ne adeo catholicae ecclesiae honorificum, adeo post lapsum Hippolyto ipsi gloriosum christiana antiquitas universa reticuisset? idque ea prorsus aetate quae res gestas martyrum tanta religione colligere et custodire consuevit [1]? Nihilo igitur probabilior haec sententia fiet, si ad Hippolyti regressum secutamque schismatis ac sectae abolitionem confugias.

Neque vero est cur magnopere miremur obscuritatem quae Hippolyti sedem tegit. Similibus quippe tenebris obductae sunt memoriae complurium scriptorum, qui non procul Hippolyti aetate claruerunt, Magnetis, Athenagorae, Caii, Hermiae, Agrippae Castoris, Modesti, Rhodonis, Maximi, Apollonii, aliorum: nec tamen idcirco quisquam animum induxit, ut labem ullam claris adeo nominibus imponeret. — Ex quibus illud merito concludere mihi videor, Hippolytum episcopum neque tantae perduellionis reum neque proinde huius voluminis auctorem haberi posse.

1 Consule *Librum pontificalem* in Anthero et Fabiano, coll. Cypr. - *Ep. XXXVIII*, et Pont. diac. - *Vita Cypriani*.

CAPUT XIII.

De Hippolyti simulacro Romae detecto deque operum catalogo lapideae cathedrae inciso.

Tempus est iam reverti ad indicium tituli *De universo*, quod nunc difficultatis potius quam argumenti, nisi fallor, speciem exhibet. Quae quidem obiecta difficultas partim auctoritate veteris catalogi, partim tituli ratione ac significatu nititur. Nam pro fide illius catalogi censetur, Hippolytum esse auctorem opusculi *De universo*: hoc autem praestituto, e similitudine inscriptionis efficitur, opusculum *De universo* esse ipsum librum *De universi essentia* quem scriptor *Philosophumenon* sibi adscribit. Praestat itaque de illius catalogi auctoritate cognoscere, priusquam de opusculi inscriptione iudicemus.

Auctoritas catalogo illi conciliari potest, partim e situ loci quo catalogus ipse simulacro adscriptus iacuit, partim ex vetustate temporis quo idem ille titulorum census exaratus creditur. Quae superius animadvertimus de sede Hippolyti episcopi deque Hippolyto martyre secus Tiburtinam sepulto, ea nullum pretium e situ loci catalogo obvenire, ostendunt. Superest igitur ut heic nominatim de huius monimenti aetate disseramus.

Nonnulli cum Winckelmanno [1] ad seculum Ecclesiae tertium retulere hoc Hippolyti signum, quod potissimam celeroqui partem seculo sextodecimo restitutum est. Idipsum alii cum Agincourtio ad quartum seculum revocarunt, quo eiusdem ferme artificii specimina non omnino desunt. Huiusmodi est Aniciorum sarcophagus in cryptis vaticanis positus, cuius ectypon in museo lateranensi visitur. Utrum tamen christianum opus ac monimentum a principio fuerit, ac rursus utrum privati hominis arbitrio an potius ecclesiae nutu, denique utrum ad privatum usum an vero ad publicum fuerit erectum, plane ignoratur. Ratio certe operis ad

1 WINCKELMANN, - *Hist. art. ap. vett. XII*, 2 § 25 *(italice)*; J. SEROUX D'AGINCOURT, - *Hist. art. T. V (gallice)*; VIGNOLI - *Dissert. I de anno primo Severi Alexandri, pag.* 4.

bibliothecae aut suburbani magis quam ad cryptae vel aedis sacrae ornatum accommodata videtur. Cuius generis ornamentum inter profana illustrium virorum simulacra non desideratur, sigillum nempe quoddam Euripidis quod tragoediarum inscriptiones adscriptas habet 1. Neque in sacris aedibus per ea tempora ut picturis, ita et statuis locus erat, quando his potius quam illis ethnici ad superstitionem fovendam utebantur.

Sed qualiscumque fuerit simulacri usus, quaestio de catalogi auctoritate ex inscriptionis potissimum aetate dirimi debet. Est autem haec aetate Hippolyti profecto posterior. Namque ipsa tituli enunciatio, *Adversos graecos et adversus Platonem vel etiam de universo*, indicat, iam tum in diversis exemplaribus alio atque alio titulo eum librum fuisse inscriptum. Quare tantum temporis ab Hippolyti obitu defluxerat, quantum satis esset ad opusculi titulum (fortasse etiam auctoris nomen) ex arbitrio librariorum vel commutandum vel supplendum. Ad haec si reapso simulacrum illud ea mente exsculptum fuisset ut paschales Hippolyti periodos operumque titulos descriptos praeferret, ampliora certe sedis latera sculptor fecisset. Quamobrem etsi signum illud Hippolyto coaevum censeatur, non illico aevi eiusdem censeri debet adiecta inscriptio. His praestitutis, cedo iam quaenam rationum momenta suadeant, eam inscriptionem ad tertium aevi christiani seculum pertinere? — Tria videntur afferri posse. Primum quod paschalis ille cyclus paullo post Hippolyti decessum ab accurata temporum ratione discrepare insigniter coepit. Nam, sexdecim evolutis annis, paschalis dies ab Hippolyto designatus solido triduo paschalem lunam antecessit. Alterum quod non omnia Hippolyti opera ibidem indicata legantur. Tertium quod, elapso eo seculo, inscriptio illa graece exarata nullius ferme usus Romae fuisset, ubi graecae linguae studium vulgo in desuetudinem abierat. — Verum nulla ex allatis rationibus rem evincit. Nam quod attinet ad cyclum, is non ad usum Ecclesiae, sed honoris caussa adscribi potuit simulacro, ut Hippoly-

1 Winckelmann, *Mon. vett. ined. P. III c.* 6.

tus cycli auctor tacito licet nomine designaretur. Quod vero nonnulla Hippolyti opera minime indicentur, id vel ex ignoratione aliorum operum fieri potuit, vel ex defectu spatii ad exarandum relicti: quandoquidem appareat, universum cathedrae latus minutis admodum literulis nullo concinnitatis respectu exaratum fuisse. Tertia ratio, quae ducitur ex lingua inscriptionis, pro certo sumit, simulacrum illud usui publico destinatum fuisse, quod tamen demonstrari nequit. Seculis profecto post tertium reliquis vix unquam Romae defuerunt graeci homines quos vel Urbis amor, vel popularium turbae, vel Augustorum vexationes ex Oriente in Italiam propellebant. Cuius rei exempla nemo postulaverit nisi qui plane sit hospes in historia Ecclesiae. Quis igitur mihi iure succenseat, si dixerim, graecum quempiam Hippolyti cultorem Romae degentem, graecorumve monachorum coetum vetus illud simulacrum Hippolyto dicasse eodemque vel suburbanum vel bibliothecam vel aedem sacram ornari voluisse? Nihil itaque impedit quominus catalogus ille habeatur tanquam opus anonymi cuiusdam qui seculo quarto eove serius Hippolyti memoriam ea ratione honoratam voluerit. At vero inde usque a seculo quarto, uti Eusebius et Hieronymus testantur, plurima erant tum pseudepigrapha tum anepigrapha veterum opuscula quibus interdum librarii pro sua quisque opinione inscriptionem faciebant. Ad hoc inter opuscula in eo catalogo minime recensita est Hippolyti opusculum *Contra omnes haereses* quod Eusebius, Hieronymus, Photius, alii noverunt, quodque Hippolytus *olim* 1 hoc est diu ante *Philosophumena* edidisset, siquidem *Philosophumenon* auctor esset. Longe igitur abest quin illius catalogi auctoritas omni exceptione maior haberi debeat.

Fac tamen ratam esse catalogi authentiam. Numquid eiusmodi est ratio illius tituli ut in unum opus necessario cadat? Recte prorsus est a Cruicio animadversum, tantam esse illius tituli comprehensionem ut non modo distinctis, sed etiam diversis lucubrationibus praefigi potuerit. Quare, ut controversia de auctore *Phi-*

1 *Philos.* - *Prooem. pag.* 2.

losophumenon ex eo titulo dirimeretur, demonstrandum esset, Hippolyti librum *De universo* esse illud ipsum *De universi essentia* volumen quod auctor *Philosophumenon* uti suum ciet. Versatissimum certe fuit iis temporibus hoc argumentum, inter eos maxime qui ethnica philosophia imbuti ad christianam religionem convertebantur. Quum enim ethnici *de natura universi*, περὶ φύσεως τοῦ παντὸς [1], aliter atque aliter praeter veritatem dissererent, christiani vicissim, vel mosaicae cosmogoniae propugnandae vel ethnicis refellendis, eiusdem argumenti libros vulgare cogebantur. Cuius rei testis est ipse Porphyrius ubi simul ab ethnicis et a christianis nonnullis Platonem impugnatum dicit, perinde quasi tantus philosophus *intelligibilis essentiae profundum minime penetrasset* [2]. E christianis autem, qui rem hanc attigerunt, commemorantur ab uno Eusebio Maximus Hippolyto aequalis qui scripsit λόγον περὶ τῆς ὕλης *commentarium de materia*, et Dionysius alexandrinus qui libros περὶ φύσεως *de natura* composuit [3]. Porro ne novum existimetur, ut similis argumenti opuscula simili titulo inscribantur satis est titulos percurrere qui secundo seculo ac tertio distinctis plane libris praefixi sunt *De origine mali*, *De anima*, *De resurrectione*, *De paschate* atque ita porro de communibus aliis argumentis. Ubi illud revocandum est, quod superius notavimus, non raro ad libidinem librariorum anepigraphis operibus titulos fuisse adscriptos [4]. Sed ut propius accedamus ad titulum *De universi essentia*, notetur velim, eundem Photium inscriptioni sui codicis haud omnino fisum esse. Commemoratis quippe pluribus eiusdem libri titulis, monet, illum anopigraphum initio relictum aliis atque aliis auctoribus tributum esse; tum affirmat, illum a Caio fuisse compositum; denique haesitantis instar concludit: *Hic ne liber ille sit an alius, nondum mihi liquet.* Igitur eius libri titulus non est huiusmodi, ut certi scriptoris index haberi queat. Quapropter si firma suppetant argumenta quibus *Philosophumena* Hippolyto ab-

1 *Philos.* - *Pag.* 10.
2 PORPHYR. - *Vita Plotini c. XVI.*
3 EUS. - *Praep. evang. VI*, 21. *XIV*, 23, 27; *H. E. VII*, 26.
4 EUS. - *H. E. V*, 27; HIERON. - *Ep. LXXIV ad Augustinum.*

iudicentur, recepta licet catalogi authentia, dici non absurde posset, ab Hippolyto quidem scriptum fuisse opus *De universo adversus Graecos et adversus Platonem*, ab auctore vero *Philosophumenon* alium librum *De universi essentia* fuisse compositum.

CAPUT XIV.

Reliqua operis indicia in Hippolytum non satis consentiunt.

Notata indicii principis ambiguitate, libenter abstinerem a ceteris examinandis, nisi vererer ne difficiliorum montium assensus ipsa difficultatum praetermissione retardaretur. Venio itaque ad reliqua indicia quae partim ex aliis operibus ab auctore memoratis, partim ex eruditionis atque opinionum genere petita sunt. In quibus, aio, nullum esse indicium quod unice Hippolytum designet, quaedam vero comparata sic esse ut fere Hippolytum excludant. Et sane, missis operibus quae parum distincte commemorantur, libellus contra haereses in prooemio totius operis indicatus vulgatissimi est argumenti, ut quod plures alios praeter Hippolytum exercuerit. Tum si forte Hippolyti fragmenta, quae supersunt apud Gelasium atque auctorem *Chronicon paschalium*, itemque Noëti refutatio ex illo Hippolyti libro excerpta sunt, quem solum veteres commemorant contra haereses conscriptum, profecto neque *Philosophumena* neque libellus inibi appellatus ad Hippolytum referri possunt. Namque excerptiones illae lucubrationem arguunt satis prolixam eiusdemque fere amplitudinis ac *Philosophumena*, qua parto errores haereticorum ipsa confutant. Quare actum egisset Hippolytus, si post primum illud opus manum huic alteri admovisset. Imo vero cuiuscumque sint operis excerpta Hippolyti quae ad nos usque pervenerunt, indicium ex eo libello expressum designare Hippolytum nequit. Si enim hunc libellum Hippolyto tribuamus, omnino tres eiusdem argumenti lucubrationes eidem scriptori adscribamus, necesse est. Primo scilicet libellum in prooemio *Philosophumenon* memoratum qui omnes gregatim breviterque haereses refellebat;

deinde librum a Photio lectum qui separatim duas supra triginta haereses refutabat; postremo, *Philosophumena* quao de placitis philosophorum, de astrologorum commentis, de praestigiatorum technis, de mysteriis hierophantum, deque haereticorum erroribus agunt. Atqui absurde tribuerentur uni eidemque Hippolyto tam multa eiusdem argumenti opera, praesertim quum catalogus cathedrae adscriptus nullius mentionem faciat, veteres autem scriptores unicum eius librum contra omnes haereses agnoverint. Igitur negantis potius quam aientis indicii vim habet quod e mentione illius opusculi elicitur. — Ad communes utriusque opiniones conversus praetermitto sententias de ortu Nicolaitarum, deque septuaginta duarum gentium numero; quarum neutra unius Hippolyti propria fuit. Prima enim in plures alios ex Irenaeo manavit, altera ex capite Geneseos decimo a compluribus omnino scriptoribus hausta est. Quid de astronomica scriptoris eruditione censebimus, in qua Bunsenius Hippolytum agnoscere sibi visus est? Hanc enimvero Cruicius iure optimo inter notas Hippolyto repugnantes recensuit. Nam tota fere quanta est in Sexti Empirici argumentis repetendis versatur, et praeclara quaeque astronomorum inventa cum commentis astrologorum confundit perperam ac deridet. Speciminis ergo unum heic locum afferam. Locutus porro fuerat auctor in superioribus eius libri articulis de distantia planetarum a tellure iuxta Archimedis, Hipparchi, Apollonii supputationes, quum demum articulo duodecimo ita concludit: *Quis non mirabitur tantam curam tanto cum labore coniunctam? Non inutilis sane mihi Ptolemaeus iste, horum indagator, videtur. Hoc unum doleo quod recens natus utilis non exstitit gigantum filiis qui harum dimensionum ignari et non procul abesse caeli convexa existimantes turrim condere frustra aggressi sunt. Quibus si interea praesens eas dimensiones ipse edisseruisset, irrito labori manus illi non admovissent. Siquis porro huic dixerit, se non credere; is dimensus credat. Demonstrationem quippe luculentiorem ista non habet adversus incredulos. O frustra laborantis animi inflationem! o fidem sine fide! ut omnium sapientissimus Ptolemaeus iudicetur apud eos qui similem sapien-*

tiam colunt 1. Potuit certe alius quispiam Sexti argumenta describere contra mathematicos; at viros de astrorum scientia optime meritos inficete adeo traducere, Hippolytus sine dedecore ac pudore non potuit. — Superest iam ut expendamus argumentum quod Bunsenius duxit ex auctoris atque Hippolyti consensione in praecipuis fidei capitibus exponendis. Etsi anceps esse solet illud argumentandi genus quod in comparandis fidei professionibus consistit, ut certi cuiusdam operis auctor detegatur: quandoquidem iisdem haeresibus ab eiusdem aevi scriptoribus plane geminae catholici dogmatis expositiones obiici consueverunt. Quoniam tamen praefestinato iudicio pronunciatum est, unam esse eamdemque apud Hippolytum atque auctorem *Philosophumenon* christianae veritatis expositionem, placet heic notare discrimen quod alteram ab altera secernit 2. — Scriptor *Philosophumenon* haereseos arguit Callistum pontificem, quod affirmaverit, Filium esse *spiritum* a Patre *indivisum*, quamquam idem ille neque *unam* esse in Deo *personam* neque *Patrem* esse *passum* diceret. Atqui significantius multo Hippolytus coniunctionem Filii cum Patre enunciaverat his verbis: *Hic progressus in mundum Deus in corpore apparuit, prodiens homo perfectus ..... Super pulvinum dormit qui naturam insomnem habet, ut Deus est ..... A militibus illuditur is cui adstant millia millium et decies centena millia angelorum ..... Ab Iudaeis in ligno figitur qui tamquam cameram caelum fixit: et clamans ad Patrem spiritum commendat ille qui est inseparabilis*

1 Τίς οὐ θαυμάσει τὴν τοσαύτην φροντίδα μετὰ τοσούτου πόνου γεγενημένην; οὐκ ἀχρεῖος δέ μοι οὑτοσὶ ὁ Πτολεμαῖος ὁ τούτων μεριμνητὴς δοκεῖ· τοῦτο δὲ μόνον λυπεῖ, ὡς πρόσφατος γεννηθεὶς οὐκ εὔχρηστος γεγένηται γιγάντων παισὶν οἳ τὰ μέτρα ταῦτα ἠγνοηκότες ἐγγὺς νομίζοντες εἶναι ὕψη οὐρανοῦ, πύργον μάτην ἐπεχείρησαν ποιεῖν, οἷς ὡς εἰ κατ' ἐκεῖνο παρὼν τὰ μέτρα διηγήσατο, οὐκ ἂν μάτην τετολμήκεισαν. Εἰ δέ τις τούτῳ φάσκει ἀπιστεῖν, μετρήσας πειθέσθω· ταύτης γὰρ φανερωτέραν ἀπόδειξιν οὐκ ἔχει πρὸς τοὺς ἀπίστους. Ὢ ματαιοπόνου ψυχῆς φυσιώσεως καὶ πίστεως ἀπίστου, ἵνα πάντων Πτολεμαῖος σοφὸς (fortasse scribendum est σοφώτατος, nisi quis malit πάντων mutare in πάντως) νομίζηται παρὰ τοῖς τὴν ὁμοίαν σοφίαν ἠσκηκόσι. *Philos.* - *IV*, 12.

2 Hippol. - *Cont. Noëtum* coll. *Philos.* - *X*, 32, 33.

a Patre [1]. Hoc igitur Hippolytus atque auctor *Philosophumenon* inter se differunt quod ille noëtianam contractionem refellit quin deflectat ad tritheistarum divisionem, hic autem ita eandem illam haeresim reiicit ut in contrariam fere delabatur. — Deinde Hippolyto solemne fuit (quod scite Cruicius animadvertit) tres simul hypostases divinae Trinitatis percensere, non primam solum atque alteram, quamvis adversus haereticos υἱοπάτορας disputaret, qui nullam de sancto Spiritu quaestionem movebant. Cuius rei exempla siquis postulet, haec habeo quae proferam. *Necesse igitur est* (hac ille Noëtum conclusione premit) *ut quamvis nolens profiteatur Deum patrem omnipotentem, et Christum Iesum filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subiecit praeter seipsum, et Spiritum sanctum, et hos esse vere tres... Unus quidem Deus quoad virtutem trina vero est ostensio quoad oeconomiam* [2]. Quae postrema sententia paullo inferius ita explicatur. *Oeconomia consensionis redigitur in unum Deum. Unus enim est Deus: Pater nempe qui mandat, Filius qui paret, quique scientiam impertit Spiritus sanctus. Pater qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus sanctus in omnibus. Aliter Deum unum intelligere non possumus nisi vere Patri et Filio et Spiritui sancto credamus* [3]. Ad haec, paucis interiectis, negatur, Deum uti par est laudari ab eo qui Patrem aut Filium aut Spiritum praetermiserit. Quod Hippolyti studium insigniter eminet cum in aliis contra Noëtum locis tum in enarra-

1 Οὗτος προελθὼν εἰς κόσμον θεὸς ἐν σώματι ἐφανερώθη, ἄνθρωπος τέλειος προελθών ... Ἐπὶ προσκεφάλαιον καθεύδει ὁ ἄυπνον ἔχων τὴν φύσιν ὡς θεός ... Ὑπὸ στρατιωτῶν παίζεται, ᾧ παρεστήκασι χίλιαι χιλιάδες καὶ μυρίαι μυριάδες ἀγγέλων ... Ὑπὸ Ἰουδαίων ξύλῳ προσπήγνυται ὁ πήξας ὡς καμάραν τὸν οὐρανόν · καὶ πρὸς Πατέρα βοῶν παρατίθεται τὸ πνεῦμα ὁ ἀχώριστος τοῦ Πατρός. HIPPOL. - *Cont. Noët. XVIII.*

2 Ἀνάγκην οὖν ἔχει καὶ μὴ θέλων ὁμολογεῖν Πατέρα θεὸν παντοκράτορα καὶ Χριστὸν Ἰησοῦν υἱὸν θεοῦ, θεὸν ἄνθρωπον γενόμενον, ᾧ πάντα Πατὴρ ὑπέταξε παρεκτὸς ἑαυτοῦ καὶ Πνεύματος ἁγίου, καὶ τούτους εἶναι ὄντως τρία ... Ὅσον μὲν κατὰ τὴν δύναμιν εἷς ἐστι θεός · ὅσον δὲ κατὰ τὴν οἰκονομίαν τριχὴς ἡ ἐπίδειξις. Id. - *Ibid. VIII.*

3 Οἰκονομία συμφωνίας συνάγεται εἰς ἕνα θεόν · εἷς γάρ ἐστιν ὁ θεός · ὁ γὰρ κελεύων Πατήρ, ὁ δὲ ὑπακούων Υἱός, τὸ δὲ συνετίζον ἅγιον Πνεῦμα. Ὁ ὢν Πατὴρ ἐπὶ πάντων, ὁ δὲ Υἱὸς διὰ πάντων, τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα ἐν πᾶσιν. Ἄλλως τε ἕνα θεὸν νομίσαι μὴ δυνάμεθα, ἐὰν μὴ ὄντως Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι πιστεύσωμεν. Id. - *Ibid. XIV.*

tione cuiusdam capitis Geneseos ab Hieronymo [1] servata, ut mittam doxologiam quae Hippolyti lucubrationes claudit. — Plane aliter se gerit scriptor *Philosophumenon:* in ea quippe, quam appellat *veram de divinitate orationem*, τὸν περὶ τὸ θεῖον ἀληθῆ λόγον [2], quaque summam christiani dogmatis legentibus proponit, sancti Spiritus mentionem nullo modo attingit. — Immerito igitur Bunsenius, unam eandemque fidei professionem apud Hippolytum atque scriptorem huius operis legi, affirmavit. — Placet heic aliud subiicere discrimen quod inter utrumque scriptorem in ipsa haereseon refutatione mihi videor deprehendisse. Testatissimum est, plurimam operam in sacris litteris enarrandis ab Hippolyto esse collocatam eamdemque inibi tanta cum laude impensam, ut praestantissimi Scripturarum interpretes ex occidente atque oriente praeeuntem illum secuti fuerint [3]. Qua vero Scripturarum scientia pollebat Hippolytus, ea passim utebatur tum christianis dogmatis declarandis tum haereticorum erroribus revincendis. Videamus iam quid agat in similibus plane adiunctis auctor *Philosophumenon*. Plurima ipse profert Scripturarum oracula quibus haeretici in rem suam abutebantur, nec tamen usquam, quod meminerim, biblico argumento, ut mos erat Hippolyto, eos refellit. Exempli caussa conferri potest Hippolyti disceptatio contra Noëtum cum simili auctoris loco qui totus est in eadem haeresi confutanda [4]. Id unum quandoque agit auctor, ut biblicas heterodoxorum lectiones a germana scriptione discrepantes notet [5]. At in ipso tamen operis limine ac vestibulo promiserat, monstraturum se profanam haereseon originem quae nimirum *neque e Scripturis, neque e sancti cuiuspiam traditione* repeti potest. Cur ex duabus hisce partibus eam non absolvit quae ad sacras litteras pertinebat? Insignis pro-

1 Hieron. - *Ep. CXXV ad Damasum.*

2 *Philos. - X,* 34.

3 Consulatur Eus. - *H. E. VI,* 22; Hieron. - *De script. eccl. n. LXI et Ep. LXXXIV ad Pammach. et Ocean.*; Theodoret. - *Diall. I. II.*; Phot. - *Cod. CCII*; vulgatae patrum *catenae in Scripturas.*

4 Hippol. - *Cont. Noët. II. VIII* coll. *Philos. - IX,* 12.

5 *Philos. - Pag.* 163, 168, 191, 238 *alibi.*

fecto Bibliorum enarrator, cuiusmodi erat Hippolytus, commemorato haereticorum abusu, ab interpretandis rite ac proferendis opportune Bibliorum testimoniis minime temperasset. — Externa igitur atque interna indicia, quae praeter argumentum e marmore petitum ex operis ipsius vestigatione exprimi possunt, in Hippolytum non satis consentiunt. Imo vero eiusmodi sunt, ut, coniuncta cum historicis consectariis oppositae sententiae, opus illud Hippolyto adiudicari non sinant 1.

CAPUT XV.

Refutandi modus quo auctor utitur, operis materies, reliquae auctoris lucubrationes Tertullianum ostendunt.

Quae a Iallaberto v. cl. proposita est sententia de scriptore *Philosophumenon* Tertulliano, prima veluti fronte a vero magis abhorrere videtur quam quaevis alia ex iis quas hactenus ad examen adduximus. Atque hanc, equidem arbitror, fuisse caussam, cur momenta rationum in eam sententiam inclinantia librare neglexerint plerique ex iis qui operam in hac disceptatione posuerunt. Praestat igitur, ea rationum momenta in medium proferre atque examini subiicere, ne prima rerum specie decepti latentem inibi veritatem introspicere forte praetermittamus aut sententiam prae ceteris probabilem indicta veluti caussa improbemus. Haud equidem pro certo habeo, me omnia deprehendisse quasi lineamenta quae *Philosophumenon* auctori ac Tertulliano communia sunt. Quae tamen ex collatione huius operis cum Septimii lucubrationibus mihi occurrerunt, summa fide proponam atque aequa lance, ut potero, perpendam.

Ipsa refutandi ratio, quam sequitur auctor, tam est Tertulliani placitis consentanea, ut in huius operibus quasi germina reperiantur, unde graeca haec haereseon refutatio videtur effloruisse. Tertullianus enim cum alibi passim e philosophorum placitis ac decre-

1 Cons. Cruic. - *Op. cit. pag.* 48-102.

tis repetit haereses, quemadmodum auctor huius operis, tum nominatim libro *De praescriptionibus* haec habet quibus universa huius operis distributio non ambigue adumbratur: *Notata sunt etiam*, inquit, *commercia haereticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis. Adeo et de genere conversationis qualitas fidei aestimari potest* [1]. — Ut vero semina huius confutationis in opusculo *De praescriptionibus* videre licet, sic illam eruditionis segetem, quae in hanc refutationem collata est, in omnibus Tertulliani operibus licet agnoscere. Nemo sane ignorat, illius afri studia praeter theologiam atque haereseologiam in omnes propemodum eius aevi doctrinas latissime fusa esse, philosophiam scilicet, iurisprudentiam, medicinam, philologiam, historiam, ethnographiam, mythologiam, poesin, ipsas praestigiatorum atque astrologorum artes, et si quae sunt alia quae priscum illum doctrinarum orbem absolvunt. Quare Hieronymus ac lirinensis Vincentius Tertullianum Latinorum eruditissimum appellarunt [2]. Atqui haec omnia eruditionis capita in hac haereseon refutatione attinguntur. Igitur non modo confutandi ratio, qua utitur auctor, verum et ipsa operis materies Tertullianum obtendit huius operis auctorem. — Quid? quod opusculi mentio facta in ipso operis ingressu ad Septimii Tertulliani opusculum *De praescriptionibus* aptissime refertur? *Haereticorum*, inquit auctor, *et olim dogmata modeste exposuimus, non particulatim patefacientes, sed confertim refutantes, indignum rati arcana ipsorum in lucem agere* [3]. Quae porro universa et singula quadrant in opusculum *De praescriptionibus*, quippe quod omnium primum a Septimio catholico adversus haereticos videatur exaratum, idemque haereticorum dogmata cursim attingens una novitatis exceptione simul omnia refellat. *Sed nunc quidem*, scribit in extremo opusculo Tertullianus, *generaliter a-*

1 TERTULL. - *De praescr. c. XLIII.*

2 HIERON. - *Ep. ad Magnum*; VINC. lir. - *Commonit. c. XVIII.*

3 Ὧν (αἱρετικῶν) καὶ πάλαι μετρίως τὰ δόγματα ἐξεθέμεθα, οὐ κατὰ λεπτὸν ἐπιδείξαντες, ἀλλὰ ἁδρομερῶς ἐλέγξαντες, μὴ ἂν ἄξιον ἡγησάμενοι τὰ ἄρρητα αὐτῶν εἰς φῶς ἄγειν, κ. τ. λ. *Philos. - Prooem.*

ctum est a nobis adversus haereses omnes certis et iustis et necessariis praescriptionibus repellendas a conlatione Scripturarum. De reliquo, si gratia Dei adnuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus. Ubi vocabula illa *generaliter* et *specialiter* ad amussim respondent adhibitis ab auctore vocibus ἁδρομερῶς et κατὰ λεπτόν: conceptum vero a Tertulliano propositum, etsi spectet edita porro opuscula in singulares haereticos, tamen indicat, fusiorem haereseon expositionem refutationemque ab eius animo alienam non fuisse. — Reliqua item opera, quorum ab auctore fit mentio, Tertulliano congruunt, vel certe ab eo non abhorrent. Etenim libellus *De universi essentia,* qui Photio teste sine auctoris nomine relictus fuerat, singularem Tertulliani opinionem *De anima corporea* continebat [1]. Scripta etiam, quae in reliquo illius libelli fragmento cientur, a Tertulliano aliena non sunt. *Omnes enim* (inquit scriptor *De universo*) *iusti aeque ac iniusti sistentur coram Deo Verbo . . . Neque enim Minos et Rhadamanthus iudices sunt . . . . . Sed quem Deus et Pater glorificavit, de quo in aliis libris subtilius disseruimus propter eos qui quaerunt veritatem* [2]. Porro ipse Tertullianus editum ab se libellum significat quo demonstrabatur *quod Deus iudex sit* [3]. Neque profecto a Septimio abhorrent (cuius plurima scripta desiderantur quique nihil in sacra eruditione intactum reliquit) alia forte opuscula quae ibidem indicantur quaeque certo alibi auctor *Philosophumenon* gregatim commemorat [4]. In his, obiter an data opera incertum, agebatur de populorum dispersione, de Palaestina, de arca Noë: quare inter hos fortasse fuit deperditum Tertulliani opus *De spe fidelium,* ubi etiam de *restitutione Iudaeae* disserebatur, *quam et ipsi Iudaei...*

1 Phot. *Cod. XLVIII.* coll. Tertull. - *De anima.*

2 Πάντες γάρ, δίκαιοί τε καὶ ἄδικοι ἐνώπιον τοῦ θεοῦ Λόγου ἀχθήσονται . . . Οὐδὲ γὰρ Μίνως καὶ Ῥαδάμανθος κριταί . . . ἀλλ᾽ ὃν ὁ θεὸς καὶ Πατὴρ ἐδόξασε, περὶ οὗ ἐν ἑτέροις λεπτομερέστερον διεληλύθαμεν πρὸς τοὺς ἐπιζητοῦντας τὴν ἀλήθειαν. Ex codice barberino *Philosophumenon,* in quem fragmentum illud relatum reperi.

3 Tertull. - *Adv. Marc. II,* 27.

4 *Philos.* - *X,* 30.

sperant locorum et regionum nominibus inducti [1]. — Igitur praeter ipsam confutandi rationem subiectamque operi materiem, reliqua eiusdem auctoris scripta Tertullianum nobis obiiciunt.

CAPUT XVI.

Schismatis tempus atque universa controversiarum ratio Tertullianum auctorem designare videtur.

Indicia superiori capite perpensa tanti sunt ponderis ut operae pretium sit ulterius in disceptatione progredi ac diligenter quaerere, utrum dissidii aetas et ratio, quam auctor indicat, omnino congruat cum Tertulliano. Quod eo redit ut ex Tertulliani operibus contra catholicos exquiramus, utrum ipse Callisto pontifice ac deinceps eas cum catholicis inimicitias exercuerit quas auctor exercuit. — Iam vero ad tempus quod attinet, proba indicia non desunt, unde colligamus, Tertullianum, Callisto pontifice, vel certe paullo post Callisti pontificatum in catholicos praeter modum excanduisse. Et primo aetatis iuxta et dissidiorum index occurrit acerbissimus *De monogamia* liber contra catholicos editus, Callisto praesulo, vel paullo post Callisti decessum, uti ex mentione antistitum bigamorum apparet [2]. *Sub Callisto* enim, si scriptorem *Philosophumenon* audiamus, *coeperunt episcopi et presbyteri et diaconi bigami ac trigami referri in cleros* [3]. Sed ne ignoti adhuc scriptoris auctoritate innitamur, audiatur ipse Tertullianus cuius verba omnem eximunt ea de re dubitationem. Quaerit ille, *Cur non potuerit post Apostolos idem Spiritus superveniens ad deducendam disciplinam in omnem veritatem... supremam iam carni fibulam imponere... quum magis nunc tempus in collecto*

1 Tertull. - *Adv. Marc. III*, 23..

2 Tertull. - *De monog. c. XII.*

3 Ἐπὶ τούτου (Καλλίστου) ἤρξαντο ἐπίσκοποι καὶ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι δίγαμοι καὶ τρίγαμοι καθίστασθαι εἰς κλήρους. *Philos.* - *IX*, 12 *pag.* 290.

factum sit, annis circiter centum sexaginta exinde productis 1? Ex qua annorum notatione recte intellecta illius opusculi aevum facile eminet, quum subiecta his vocibus materies ambiguitatem omnem excludat. Haec enim temporis circumscriptio nulla esset, si nomine *Apostolorum* intelligerentur omnes universe Apostoli qui dissitis inter se temporibus decesserunt. Rursum ea falsa foret, si eius intervalli exordium duceretur ab evangelistae Iohannis decessu qui sero nimis contigit. Quare superest, ut *Apostolorum* appellatio accipiatur de clarissimis apostolis Petro et Paulo qui simul Romae anno christiano sexagesimo septimo gloriosa nece sublati sunt 2. Quum itaque in lucem prodiit Septimii libellus *De monogamia* inscriptus, a martyrio Petri et Pauli centum sexaginta anni nondum effluxerant: quamobrem libellus ille paullo ante annum biscentesimum vicesimum septimum vulgatus est. Atqui Callistus, ut nobis auctor est Eusebius, ab anno biscentesimo undevicesimo ad biscentesimum vicesimum tertium vel quartum maximo pontificatu functus est. Igitur vel Callisto pontifice vel paullo post Callistum libellus ille in lucem eductus est. Quo tempore quales inimicitias contra catholicos gereret Septimius cum ex hoc libello apparet, tum ex alio *De ieiuniis* inscripto qui post illum compositus est 3. — Accedit alius temporis ac discordiarum index, opus nimirum a Tertulliano contra Praxean editum, cuius primo capite indicatur tempus quo Tertullianus a catholicis ad Montanistas defecit. Luctuosa porro illa secessio facta est, auctore Tertulliano, postquam certus quidam romanus episcopus Praxeae consiliis prohibitus est quominus Montanistas reciperet. Licet autem certo cognoscere, quisnam fuerit episcopus ille a Tertulliano memoratus. Nam ex altero Tertulliani contra Marcionem libro scimus, anno quintodecimo Septimii Severi (biscentesimo septimo aevi christiani, quo anno Zephyrinus pontificatum gerebat) Ter-

1 Tertull. - *De monog. c. III.*

2 De anno emortuali apostolorum Petri et Pauli scitu dignissima sunt quae Franc. Xav. Patritius e S. I. commentatus est libro primo *De evangeliis*, c. II, n. 29 seqq.

3 Tertull. - *De ieiun. c. I.*

tullianum iam transfugam fuisse. Unde liquet, episcopum illum Zephyrino censeri posteriorem non posse. Sed aliunde constat, ne anteriorem quidem posse illum existimari. Praxeas enim, episcopo illi obiecit *decessorum* auctoritates ne se cum asseclis Montani ecclesiastica communione coniungeret. Igitur duo saltem romani episcopi, qui rem habuerant cum Montanistis, episcopo illi praecesserant. At omniûm primus, qui cum Montanistis egerit, appellatur ab Eusebio [1] Eleutherus, isque uno Victore interiecto Zephyrinum antecessit. Ergo episcopus a Tertulliano indicatus ipse fuit Zephyrinus, quo pontificatum gerente Tertullianus a catholicis abalienatus Montani deliramenta amplexus est. Discimus autem ex Augustino [2], eum Ecclesiae desertorem discessisse quidem aliquando a Montanistis, sed tamen ad Ecclesiae gremium unquam rediisse. Unde consequitur, Tertullianum in schismate obfirmatum, Callisto etiam pontifice qui Zephyrino successit, susceptas iamdudum simultates cum catholicis exercere perrexisse. Sed satis de schismatis aetate dictum est; ad controversiarum comparationem progrediamur, quarum aliae ad labefactatam veteris disciplinae castitatem, aliae ad corruptam de divina Trinitate doctrinam referuntur. — Primi generis criminationes, quae leguntur apud auctorem *Philosophumenon*, cum severioribus Tertulliani opinionibus plane congruunt. Uterque enim ex aequo alteras nuptias, tanquam adulteria, condemnat; uterque bigamos sacerdotio initiari, sine ulla prorsus exceptione nefas ducit. Nominatim vero *edictum* illud *Pontificis maximi*, sive *Episcopi episcoporum* a Tertulliano exagitatum in opusculo *De pudicitia* plane respondet Callisti pontificis placito quod in hac haereseon refutatione improbatur. Namque heic pontifex ille traducitur ut qui *primus animum induxerit concedere hominibus, quae ad voluptates pertinent, aiens omnibus ab se dimitti peccata* [3]. Congruunt con-

1 Eus. - *H. E. V*, 3.

2 Augustin. - *Ad Quodvultd. haer. LXXXVI.*

3 (Ὁ Κάλλιστος) πρῶτος τὰ πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῖς ἀνθρώποις συγχωρεῖν ἐπενόησε λέγων πᾶσιν ὑπ' αὐτοῦ ἀφίεσθαι ἁμαρτίας. *Philos.* - *IX*, 12 *pag.* 290.

sequenter Scripturarum testimonia, quae ad suam doctrinam tuendam Callistus heic proferens inducitur, cum iis quae Tertullianus in illo opusculo tamquam a catholicis obiecta refert. — Alterius generis criminationes, quas ad controversias de divina Trinitate revocari diximus, geminis fere verbis expressae reperiuntur in memorato Tertulliani libro adversus Praxean. Neque id mirum videri debet, quum gemina plane sit utriusque operis de Patre ac Verbo doctrina [1]. Quae quum ita sint, etsi hactenus putatum est, illud Tertulliani opus contra haereticos fuisse scriptum, tamen post edita *Philosophumena* subit animum suspicio, num catholici etiam fraudulenter opere illo ad ictum designati fuerint. Suspicandi caussas paucis aperiam. — Et primo quidem in ea disputatione pleraque omnia rationum et contumeliarum tela hominem petunt latinis haereseographis parum notum, graecis vero plane incompertum. Deinde graecum nomen, quo ille appellatur, tam apte convenit *homini inquieto* sive insigniter actuoso, qualem fuisse illum Tertullianus dicit, ut suspicari liceat, ficticio *Praxeae* quasi cognomento non Praxean nescio quem, sed alterius nominis virum esse intelligendum. Denique plura ex iis, quae Tertullianus de Praxea subobscure scribit, clarius ab auctore *Philosophumenon* de Callisto romano pontifice affirmantur [2]. Et vero Callistus, aeque ac Praxeas, ut inquies homo traducitur qui ante susceptum pontificatum omnia ecclesiastica negotia ipsumque adeo Zephyrini pontificis animum ad libidinem moderabatur. Praxeas perhibetur *insuper de iactatione martyrii inflatus ob solum et simplex et breve carceris taedium:* quod facile referri potest ad Callisti deportationem ab auctore *Philosophumenon* commemoratam. Nam Callistus in metalla Sardiniae datus est a Fusciano Urbis praefecto intra annum christianum centesimum octogesimum octavum, idemque Commodi permissu revocatus est postquam Victor Eleuthero pontifici sublectus fuerat. Porro Commodus necatus est extremo anno nonagesimo secundo, Victor autem non ante nonagesimum

1 TERTULL. - *Adv. Prax. cc. V-VII* coll. *Philos. - X, 22, seqq.*
2 *Idem. - Ibid. c. I.* coll. *Philos. - IX, 12.*

Eleuthero successisse videtur. Brevis igitur fuit inclusio Callisti quippe quae ultra quadriennium prorogata non est. Eadem rursus hypocrisis Callisto in hac haereseon refutatione tribuitur quae Praxeae adscribitur apud Tertullianum. Postremo eadem haeresis iisdemque ferme concepta verbis utrique affingitur. Praxeas enim aiebat, *Filium carnem esse, id est hominem, id est Iesum: Patrem autem spiritum, id est Deum, id est Christum.* Callistus vicissim docuisse dicitur, *Quod conspicuum est, id est hominem, hoc esse Filium: qui autem Filio comprehensus est spiritus, hunc esse Patrem* [1]. Quamquam neque Praxeas neque Callistus Patrem esse passum diceret. Ex quibus fortasse non absurde coniectari posset, commenticio Praxeae nomine Callistum ipsum romanum antistitem a Tertulliano petitum esse. — Captam ex his indiciis coniecturam confirmat notabilis quaedam auctoris praetermissio, quae sane inobservata relinqui non debet. Nimirum ubi is exponit, quinam in Urbe fuerint primi satores haereseos noëtianae, Praxeam, qui teste Tertulliano *primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit romanae humo,* nequaquam nominat. Quae quidem auctoris reticentia mihi revocat aeque notandum Tertulliani de Sabellio silentium in opere contra Praxean vulgato. Sed si Tertullianus ipse *Philosophumenon* est auctor, silentium illud probabili ratione non caret. Namque huius scripti auctor non desperabat Sabellii conversionem, isque semel minime pertinacem praestabat quum ab ipso admoneretur [2]. — Quum igitur eodem tempore iisdem dissidiis implicitus fuerit eosdemque habuerit adversarios auctor huius operis ac Tertullianus, nihil impedire videtur quominus scripti huius auctor ipse Tertullianus habeatur.

1 Τὸ μὲν γὰρ βλεπόμενον, ὅπερ ἐστὶν ἄνθρωπος, τοῦτο εἶναι τὸν υἱὸν, τὸ δὲ ἐν τῷ υἱῷ χωρηθὲν πνεῦμα τοῦτο εἶναι τὸν πατέρα. *Philos.* - *IX*, 12 *pag.* 289. coll. Tert. - *Adv. Prax. c. XXVII.*

2 (Τὸν Σαβέλλιον) ἐξέστησε (ὁ Κάλλιστος) δυνάμενον κατορθοῦν. Ἐν γὰρ τῷ ὑφ' ἡμῶν παραινεῖσθαι οὐκ ἐσκληρύνετο. *Philos.* - *IX*, 11. *pag.* 285.

CAPUT XVII.

Graecae linguae usus, summi sacerdotii ostentatio, anabaptismi reprehensio, quae scriptoris huius propria sunt, non abhorrent a Tertulliano.

His, quae hactenus attulimus, tria sunt quae aliquam difficultatis speciem creare posse videntur. Graeci nempe sermonis usus, qui a carthaginiensi scriptore alienus forte censeatur; ostentata ab auctore dignitas summi sacerdotis, quam Tertullianus presbyter nequaquam sibi arrogasset; iterati baptismatis ab auctore profecta criminatio, quae contraria videtur Tertulliani placito de baptismate ab haereticis collato. Verum ex obiectis hisce rationibus prima perlevi negotio dissolvitur. Tertullianus enim utramque linguam callebat, et quamvis plerumque latine scripserit, nonnullos tamen libros graeco exaravit. Cuius rei plus semel ipse testis est in iis operibus, quae aetatem tulerunt 1. Altera item ratio non aegre diluitur, si animadvertatur, Tertullianum, abiecto demum montanismo, schismaticae sectae institutorem atque antesignanum fuisse 2. Nam licet ipse pontificalibus sacris nunquam fuerit initiatus, potuit nihilominus nomen summi sacerdotis arrogare sibi dum summam sacrorum potestatem inter suos exercebat. Idque eo vel magis quod a catholicis segregatus novam ac praeposteram de summo sacerdotio sententiam amplexus fuerat. Supremam scilicet potestatem beato Petro concreditam ex illo in ecclesiam transiisse, quam *Spiritus ecclesiam* Tertullianus vocitabat, nequaquam in eam, quae auctore Tertulliano *numerus* erat *episcoporum* quaeque *iam nec in Apostolis possidebat Paracletum* 3. Quare congruenter arrogantiae simul errorique suo Tertullianus novae sectae magister loqui potuit in haec verba: *Non alius haec* haere-

1 TERTULL. - *De bapt. c. XV*; *De cor. c. VI*; *De vel. virg. c. I.*
2 AUGUSTIN. - *Ad Quodvultd. haer. LXXXVI.*
3 TERTULL. - *De pudic. c. XXI* coll. *c. XII.*

licorum dogmata *refellet quam traditus in ecclesia Spiritus sanctus: quem primi apostoli participantes tradiderunt recte credentibus. Quorum nos quum simus successores, eiusdemque gratiae summique sacerdotii ac magisterii participes, nec non Ecclesiae custodes habiti, minime connivebimus* [1]. Tertia, quae superest, difficultas paullo impeditior est; non eo tamen usque ut expediri nulla probabili ratione possit. *Callisti tempore*, inquit auctor, *primum ipsi* (catholici) *ausi sunt alterum baptisma* [2]. Ubi recte adnotatum est, his auctoris verbis nequaquam ipsum Callistum aut romanam ecclesiam reprehendi, sed aliam quamlibet cum romana coniunctam eidemque obnoxiam, quae baptismum iterare ausa fuerit. Ex quo nonnulli coniecerunt, eo spectasse auctorem ut cartaginiensis ecclesiae consuetudinem ab Agrippino praesule inductam catholicis exprobraret. Quae si vera sunt, non videtur ea criminatio proficisci potuisse a Tertulliano qui *De baptismo* disserens Agrippini sententiam propugnaverat [3]. Haec est summa difficultatis, quam postremo loco explanandam suscepimus. — Nullus porro nodus heic mihi esset extricandus, si assentiri possem Philippo le Prieur qui censuit, irritum Tertulliano fuisse baptisma perperam ab haereticis collatum, non item illud quod rite collatum esset. Ne tamen assentiar, efficiunt quum rationes a Tertulliano allatae tum loquendi modus quo idem omnes universe homines ab haereticis ablutos eodem censu habere videtur. Namque is baptisma haereticorum ideo non agnoscit quod *Evangelium ad nos editum est, non ad extraneos*, quodque *non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est idem, ideoque nec baptismus unus*. Alibi vero *Et apud nos*, inquit, *haereticus etiam*

1 Ταῦτα δὲ (τῶν αἱρετικῶν δόγματα) ἕτερος οὐκ ἐλέγξει, ἢ τὸ ἐν ἐκκλησίᾳ παραδοθὲν ἅγιον πνεῦμα· οὗ τυχόντες πρότεροι οἱ ἀπόστολοι μετέδοσαν τοῖς ὀρθῶς πεπιστευκόσιν· ὧν ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες, τῆς τε αὐτῆς χάριτος μετέχοντες, ἀρχιερατείας τε καὶ διδασκαλίας καὶ φρουροὶ τῆς ἐκκλησίας λελογισμένοι, οὐκ ὀφθαλμῷ νυστάζομεν κ. τ. λ. *Philos. - Prooem.*

2 Ἐπὶ τούτου (Καλλίστου) πρώτως τετόλμηται δεύτερον αὐτοῖς βάπτισμα. *Philos. - IX, 12 pag.* 291.

3 Tertull. - *De bapt. c. XV.*

per baptisma veritatis utroque homine purgatus admittitur 1. Nihilo tamen minus obiectam difficultatem ita submoveri posse censeo. Ut concedam, eo loco agi de baptismate ab haereticis collato atque ab afris episcopis iterato, illud animadverto, Tertullianum de baptismo disserentem non tam suae quam ecclesiasticae Afrorum consuetudini patrocinatum fuisse, quam digressus ad Montani sectam ipse retinuit. Quamobrem non video cur idem ille a catholicis aeque ac Montanistis divisus, mutata sententia, non potuerit eius disciplinae vitium per calumniam reiicere in Callistum, si forte, illo pontifice, Agrippinus eam consuetudinem induxit. Sed nimirum ipsa criminandi ratio peculiare aliquod factum potius quam perstantem adhuc disciplinam perstringere videtur. Ut enim auctor de bigamis ait, *sub Callisto coepisse episcopos bigamos referri in clerum*, ita fere do anabaptismo locutus esset, si rei continuationem significare voluisset. Malo igitur ignorare quid sibi velit illud obscure iactum: *Sub Callisto primum ipsi ausi sunt alterum baptisma:* quam ad vigentem etiamtum abusum haec verba trahere. Iam vero illi, qui collatum ab heterodoxis baptisma irritum censebant, non minus quam reliqui omnes, iterationem baptismatis sacrilegii loco habebant. Ergo siquid huiusmodi, Callisto pontifice, in aliqua ecclesia est attentatum, quod criminandi ansam Tertulliano obtulerit, potuit hic sane citra notam contradictionis ex eo capite Callistum calumniari.

CAPUT XVIII.

Scribendi modus imitatorem Tertulliani potius arguit quam ipsum Tertullianum.

Argumenta superioribus articulis proposita controversiam, opinor, deciderent secundum Iallaberti sententiam, nisi de scriptore ageretur plane singulari, qualem esse Tertullianum nemo non sentit. Non enim videtur huiusmodi scriptor adeo dissimulare sci-

1 TERTULL. - *De pudic. c. XIX.*

psum potuisse, ut omnium ferme exploratorum oculos tamdiu inobservatus effugeret. Quamobrem magis magisque intendendam esse arbitror vestigationis sagacitatem ac diligenter inquirendum num aliqua forte auctoris lineamenta in Tertullianum cadere nequeant. Ordiemur ab examinanda ratione quam auctor in scribendo sequitur quamque vicissim Tertullianus sequi consuevit.

Haud equidem abnuo, plerumque minus firma esse argumenta quae hoc ex capite ducuntur, ut sua scriptoribus vindicentur opera, vel abiudicentur aliena. Ut enim similitudo institutionis atque indolis nonnunquam scriptores in eloquendo similes efficit, sic argumenti diversitas, aetatis flexus, linguae discrimen, adiunctorum variatio unum eumdemque scriptorem non raro sui dissimilem reddit. Neque illud inficiari velim, ad plerosque hominum permovendos huiusmodi argumenta perlevis momenti esse; quum paucorum sit interior ille sensus quo proprius cuiusque scriptoris character percipitur ac distinguitur. Verum, apposite Centnerus, *sit hoc in aliis verum qui communi ac usitato adeoque non facile discernendo dicendi genere utuntur. Tertullianus sane quem et affectata supra modum obscuritas et figurae prope semper in praecipitio collocatae ac inimitabile quoddam omnia involvendi studium a scriptoribus non suorum, sed omnium fere temporum distinguunt, ita potest agnosci ut quae supponantur ipsi opuscula, statim appareat* [1]. Igitur, quamvis haec haereseon confutatio graece scripta sit, cuius linguae opuscula a Tertulliano elaborata interciderunt, non tamen inutilem fore arbitror comparationem huius operis cum latinis Tertulliani lucubrationibus.

Eminet porro in omnibus Tertulliani scriptis vir natione atque indole afer, qui plurimum phantasia, plurimum ingenio pollet, iudicio parum. Qui proinde legentes, ut fit, e seipso dimetiens singulis sententiis ac pene vocibus percellere, quam apta rationum continuatione ac serie docere, mavult. Hinc pressae illae succique plenae locutiones; hinc audax vocabulorum novitas; hinc intercisa illa eruditio quam undequaque corrogatam suis interserit opu-

1 CENTNER, - *De omn. Tert. opp. montanismo* § 13.

sculis; hinc frequentes ab argumento digressiones inopinaeque transitiones quae plerumque ordinem tractationis introspici non sinunt. Ea facultatum temperatio quantum ab aequabili atque historica rerum expositione abhorreat, nemo non videt. Et sane facta, de quibus forte incidit sermo in Tertulliani libris, vel adumbrantur levissime vel subobscure ac caesim, ut ab indignante, iaciuntur. Haereticorum vero aut philosophorum placita novis quodammodo coloribus non tam illustrata, quam variata exhibentur. Ad haec insigniter eminet in Tertulliani scriptis *centurionis filius* idemque vir qui plurimam in iure civili operam posuit. Quod translatae passim e medio foro aut e re militari ad rem christianam locutiones ostendunt. Adeo nimirum romani iuris romanaeque militiae severitas cum institutione atque ingenio illius scriptoris congruebat. — Ex breviloquenti hac peregrinitate, quae vix ullam ex ordine lucem mutuatur, oriuntur illae orationis quasi tenebrae quae passim Tertulliani opera involvunt. Namque illius elocutio praeter modum difficilis atque obscura ipsis veteribus est visa 1: quare non est ut huiusmodi obscuritatem repetamus ex non satis expressa mentione rerum quae nobis ignotae sunt, quum Tertulliani aequalibus essent compertae. Hoc autem orationis vitium, quod ex ipsa cogitandi ac sentiendi ratione primitus obortum est, fastus deinde accessione, fanaticae superstitionis patrocinio, diuturna veritatis oppugnatione magis magisque in Tertulliano inolevit. Quo praestituto, concedamus licet, discrimen aliquod ex provecta scriptoris aetate, ex ratione operis, ex graeci sermonis usu inter hanc haereseon refutationem ac nota Tertulliani opuscula intercedere debuisse: quamquam, ut obiter id notem, in latinis etiam operibus afer ille saepissime graecisset. Illud tamen ratum esse debet, neque sentiendi et cogitandi rationem, neque elocutionis habitum, diuturna consuetudine confirmatum, per senectutem aut quorumlibet adiunctorum variationem penitus immutari. Praesertim quod in senectute non nova excogitari

1 LACTANT. - *Inst. div.* V, 1: HIERON. - *Ep. XLIX ad Paulin.*

sed iampridem in adversarios relata vel memoriae commissa proferri soleant.

Iam vero in hac lucubratione, cuius auctor quaeritur, non desunt insolentiores locutiones, si eius graecitas exigatur ad vulgatiora lexica, quae solius classicae graecitatis, ut plurimum, rationem habent. Nescio tamen an multae locutiones notari in ea possint, quae non e media haeresiarcharum, haereseographorum ac potissimum Irenaei graecitate ducta sint. Neque profecto desunt dicendi formulae sive ex militia sive ex iurisprudentia translatae: at multo sunt rariores quam in compertis Tertulliani operibus. Ceterum desiderantur heic frequentatae a Tertulliano sententiae: desideratur etiam concisa illa eruditio quam Tertullianus intertexere suis lucubrationibus consuevit. Nullae heic improvisae transitiones, at huiusmodi potius quae perpetua similitudine fastidium gignunt. Ordo praeterea, qui elucet in opere universo, longissime abest ab ea perturbatione quae Tertulliani propria est. Neque minus quam totius operis ordo, singularum haereseon expositio gestarumque rerum narratio a Tertulliani ratione discrepat. Speciminis gratia conferri possunt quae Tertullianus *adversus Valentinianos* scribit, cum iis quae auctor *Philosophumenon* fuse refert de haeresi Valentini [1]. Narratio item, quam ille inseruit primo *Ad nationes* libro, cum narrationibus quas hic sexto et nono suae confutationis attexuit [2]. Quarum postrema, narratio simul atque acerbissima in catholicos declamatio, usitatum Tertulliano convicium haudquaquam continet, *psychicorum* appellationem ex apostolicis epistolis [3] petitam atque ad catholicos notandos detortam. Quo loco, nequis obiiciat, post discessum a Montanistis Tertullianum ab ea contumelia temperare debuisse, perinde quasi ea referretur ad *spiritalium* appellationem quae Montanistarum propria fuit, revocetur velim quod heic statim subdo. *Pneumaticorum* sive *spiritalium* nomen ante Montanistas sibi arrogarunt Valentiniani,

1 *Philos.* - *VI*, 21 *seqq.*
2 Tertull. - *Ad nat. I*, 16 coll. *Philos.* - *VI*, 8 ; *IX*, 11, 12.
3 Iac. - *III*, 15 ; Paul. - *I. Cor. II*, 14 ; Iud. - 19.

qui simul *psychicorum* sive animalium cognomento catholicos designabant [1]. Eodem isto cognomento abusi sunt Naasseni qui se *gnosticos* appellarunt [2]. Eam deinde adhibuerunt Montanistae [3], eamque ab iis accepit Tertullianus, etsi a Naassenorum ac Valentini deliramentis constanter abhorruerit. A vero igitur non abludit quod haereseographus sirmondianus [4] de Septimio scribit in haec verba: ***Tertullianus** a Montanistis **postea divisus.... fudit a se omnem Phrygiae vanitatem et Tertullianistarum conventicula propagavit. Nihil tamen in fide mutavit. Nam et secundas nuptias condemnat... et nos catholicos psychicos titulat.*** Sed iam institutam comparationem absolvamus. Praeter cetera, quae superius animadvertimus, desideratur in hoc opere atque nominatim in eius epilogo vis illa synthetica qua Tertullianus insigniter eminet. Denique ut plurimum, heic minus est obscuritatis quam in latinis Tertulliani scriptis, etsi fortasse ob alieni sermonis usum contra fieri debuisset. Atque haec praecipua sunt capita quae Tertulliani elocutionem generatim spectatam ab auctoris elocutione secernunt.

His de universo dicendi genere adnotatis, e re fuerit singillatim attingere scribendi rationem quam auctor huius operis ac Tertullianus in iisdem plane controversiis de divina Trinitate sequuntur. Et primo mirum accidit quod auctor graece scribens graeco Τριάδος nomine nuspiam utatur, nisi ubi absurdam Peratarum triadem proprio ipsorum vocabulo expressam commemorat [5]: quamquam Tertullianus eam vocem catholico sensu persaepe adhibeat [6] eamque primus videatur fecisse latinam. Deinde illud etiam notatu dignum est quod idem scriptor noëtianam haeresim exponens, quam obtentu *monarchiae* servandae propugnatam dicit, ne semel quidem appellatione τῆς οἰκονομίας utatur, ubi contrariam

1 Iren. - *Adv. haer. III*, 15 § 3; *IV*, 32-36; Tertull. - *De Carne Chr. XIX.*

2 *Philos.* - *V*, 8 *pag.* 114.

3 Clem. alex. - *Strom. IV*, 13.

4 *Haer. LXXXVI.*

5 *Philos.* - *V*, 12 *pag.* 124.

6 Tertull. - *Adv. Prax. III. XI. XII; De pud. XXI;* alibi.

huic haeresi veritatem proponit. Notum est enim, Hippolytum ac Tertullianum hac voce usos esse ad hypostaseon divinarum distinctionem atque ordinem significandum in controversia noëtiana, quum eadem illa constanter a ceteris adhibita fuerit ad sacramentum incarnationis enunciandum. Quae postrema eademque communior significatio plus semel huic vocabulo ab auctore subiicitur, ubi tamen Irenaei verba exscribuntur [1]. Atqui graecum hoc vocabulum priori sensu acceptum usurpasset in ea controversia Tertullianus. Eodem quippe constanter utitur in refellendis *monarchianis* qui *monarchiam tuentur, oeconomiam nolunt intelligere*, seu, *non intelligentes unicum quidem, sed cum sua oeconomia esse credendum, expavescunt ad oeconomiam* [2]. Est enim hoc eorum proprium qui exercitati in dicendo ac disputando sunt, ut in agendis controversiis solemnes ratasque adhibeant voces quibus eorum innexae sunt sententiae. Quam in rem apposite ipse Tertullianus, *Habet*, inquit, *et fides quorumdam nominum familiaritatem: ita in omni opusculo usum custodimus* [3]. Sed haec fortasse leviora: quod sequitur paullo gravius est, quum ipsam cogitandi rationem propius attingat. — Solet Septimius divinae Trinitatis hypostases ita commemorare ut a priore atque altera tertiam nunquam dissociet. Id autem agit non modo ubi christianae fidei regulam proponit, verum etiam ubi disserit contra haeresim noëtianam quae de Patre solum ac Filio disceptabat [4]. Ad haec de divinitate sancti Spiritus eiusque ad reliquas personas habitu tam diserte loqui consuevit, ut aevo illo vix alium hac in re Septimio parem invenias. *Spiritus* quippe Tertulliano est *tertium numen divinitatis et tertium nomen maiestatis*. Idem alias *inseparatos ab alterutro Patrem et Filium et Spiritum sanctum* testatur. Denique *Spiritum non aliunde* putat *quam a Patre per Filium*. Quum haec fuerit

1 *Philos.* - *VI*, 47, 51.

2 Cons. Tertull. - *Adv. Prax. II. III. IV. VIII.*

3 Idem, - *De pud. IV.*

4 Idem, - *De praescr. XIII; De pud. XIII, XXI; De an. I; De resur. carn. LVIII; Adv. Prax. II. III. IV. VIII. IX. XIII. XXII. XXVII. XXXI*; alibi.

Septimii consuetudo, auctor contra in iis locis, quibus obiter meminit de sancto Spiritu, sic loquitur ut nescias quaenam hac in parte fides eius ac professio fuerit [1]. Ubi vero ipse tandem universos alloquens homines docet [2] Τί τὸ θεῖον, *Quid sit divinitas*, in extrema illa oratione, quae ab eodem dicitur Ὁ περὶ τὸ θεῖον ἀληθὴς λόγος, *Verus de divinitate sermo*, de Patre quidem ac Filio prolixe loquitur, at de divino Spiritu plane silet. Quod sane in opere, ubi controversia de distinctione hypostaseon tam aperte proponitur, ex arcani disciplina explicandum aut excusandum non videtur. Non is certe fuerim ego qui haereseos iusimulem huiusmodi scriptorem, quod ante ortos pneumatomachos tam ieiune de divino Spiritu locutus fuerit. Id unum heic notetur velim, eam omissionem ex Tertulliano minus quam ex alio quolibet scriptore eorum temporum exspectari debuisse.

Ceterum his, quae notavimus, exceptis, lineamenta quaedam in hoc dicendi genere deprehenduntur quae in Tertullianum conveniunt. Huiusmodi est mascula illa elocutionis durities nullo aequabilitatis et numeri respectu emollita. Huiusmodi etiam minuta, quae interdum ibi recurrit, sententiarum partitio. Huiusmodi sunt loquendi formulae quandoque non inelegantes, quandoque poeticae, plerumque eo studio conquisitae ut auctoris sententias, quo significantius fieri potest, expliceut ac definiant. Huiusmodi demum sentiendi et cogitandi ratio quae in pluribus Tertullianum refert. Quare si ad similitudinem simul respiciamus atque ad notatam superius discrepantiam, imitatorem potius Tertulliani, quam ipsum Tertullianum, hoc in opere agnoscemus.

1 *Philos. - Prooem.*; *VI*, 19, 31, 32; *VII*, 26, 36; *VIII*, 8.
2 Ibid. - X, 31, 34

CAPUT XIX.

Vetustiores Tertulliani lucubrationes ad hanc haereticorum oppugnationem relatae.

Quum Tertullianus prae ceteris aetatis suae scriptoribus in suis opusculis rationem habere consuevorit editarum antea lucubrationum; dum Tortullianum in hoc libro requirimus, cavendum est ne quaerere negligamus quemnam respectum habeat auctor huius libri ad opera quae forto ipso in antecessum vulgarit. Is nimirum est afer illo, operum scriptor foracissimus, qui vulgata prius opera, ut se occasio dederit in suis novis operibus, vel adumbrat leviter, vel expresse ciet; quique interdum sepositos etiam libros se deinde oditurum pollicetur. Ad specimen indicabo opuscula *De anima et De resurrectione carnis* [1]: etsi res profecto monstratore non indiget. Ubi notandum est, non latina dumtaxat, sed et graeca, quae praecesserint, in latinis opusculis a Tertulliano commemorari [2]. His praestitutis, animadvertatur, hanc haereseon confutationem, quae Tortulliano adscribitur, habori posso tanquam supplementum atquo opilogum operum fermo omnium quae a Tertulliano sive catholico sive montanista prodierunt. Quare Tertulliano eius auctori peropportuna exstitisset aliis operibus commomorandis quae cum illa nectuntur novisque auctoris eiusdem opinionibus non adversantur.

Iam, seposito paulisper libro *De praescriptionibus*, do quo deinceps redibit sermo, videamus qua rationo se habeat auctor ad roliquos Tertulliani libros hac haereseon refutatione vetustiores. Hermogeniani orroris enarratio in hoc opere sex et viginti versibus absolvitur [3], quin tamen lectores referantur ad praecla-

1 Tertull. - *De res. carn. II. XVII. XLV; De an. X. XIV. XIX. XXI. XXIII.*

2 Idem, - *De bapt. XV; De cor. VI; De vel. virgg. I.*

3 *Philos. - VIII*, 17.

ram illam disputationem, quae contra Hermogenem a Tertulliano montanista edita fuerat. Nec enim quidquam est in ea disputatione, quod Tertullianum ab illius mentione deterrere potuerit. Nihil certe illa continet ex iis, quae scriptor *Philosophumenon* in montanistis reprehendit: nam eorum errores de monogamia deque poenitentia ultro ipse propugnat. — Idipsum potiori iure notandum occurrit de valentinianae haereseos relatione, quae apud auctorem legitur sine ulla mentione operis a Tertulliano scripti contra Valentinianos. Nam nihil est illo in opere quod ab auctore *Philosophumenon* repeti aut describi non potuisset. Imo vero non deerat ibi quod in fusiori hac refutatione revocaretur. Siquidem, *hoc libello*, dixerat Septimius, *demonstrationem solam promittimus illius arcani. . . . Quamquam autem distulerim congressionem, solam interim professus narrationem*; *sicubi tamen indignitas meruerit suggillari, non erit delibatione transfunctoria expugnatio* 1. — Idipsum repeti potest de refutatione Marcionis, quam nulla mentio comitatur de quinque libris a Tertulliano scriptis contra Marcionem. In his enim obiter admodum Montani disciplina attingitur. Idipsum denique, ut alia praetermittam, de brevissima illa Iudaeorum reprehensione 2, quae commemorando Tertulliani operi contra Iudaeos opportunissima accidisset.

Obortam e multiplici hac omissione difficultatem auget loquendi modus quo Tertullianus, plane aliter ac scriptor huius operis, notat quosdam haereticos fuisse sibi coaevos. Hic enim de Callisto pontifice, quem haereticis accenset, deque Preponte haeretico scribit, utrumque ipsius temporibus vixisse 3. At frequentius multo Tertullianus haereticorum, quibuscum congreditur, aetatem designat, sicubi de recentioribus agit. Tam alte nimirum insederat Septimio, licet montanistae, praescriptionis argumentum seu novitatis exceptio, qua haereticos refellebat. *Solemus*, inquit, *haereticis compendii gratia de posteritate prae-*

1 Tertull. - *Adv. Valentinian. VI.*
2 *Philos.* - *IX*, 30 *pag.* 308.
3 *Philos.* - *VII*, 31 ; *IX*, 11.

scribere: *in quantum enim veritatis regula prior quae etiam futuras haereses praenuntiavit, in tantum posteriores quaeque doctrinae haereses praeiudicabuntur* [1]. Hinc est quod Hermogenes ab eo dicitur *adhuc in seculo ambulare*, idemque rursus tanquam *ad hodiernum homo in seculo* perhibetur [2]. Axionicus item ipsius Tertulliani aequalis designatur his verbis: *Solus ad hodiernum Antiochiae Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum eius consolatur* [3]. Quare si *Philosophumenon* scriptor fuisset Tertullianus, exspectanda erat aetatis mentio, ubi de haereticis ipsi coaevis sermo incidisset. Quid tamen auctor de duobus hisce haereticis quos et ipse appellat? Axionicum valentinianum ita commemorat ut de illius aetate nihil dicat [4]. De Hermogene vero ieiune admodum loquitur his vocibus: *Hermogenes quidam et ipse novi aliquid excogitare in animum inducens, dixit, Deum ex coaeva infectaque materia omnia fecisse*. Et paucis interiectis ieiunius etiam concludit: *Haec igitur Hermogenes aggressus est* [5]. Quae ad alium plane scriptorem referenda videntur.

At vero eo gravior fit obiecta difficultas, ex iis quae auctor in operis prooemio de se ipse scribit. *Haereticorum*, inquit, *dogmata et olim breviter exposuimus, non particulatim enarrando, sed confertim refellendo, minus forte dignum ducentes arcana eorum in lucem proferre*. Quod eo consilio egimus, *ut, ubi nos eorum placita subobscure exposuissemus, veriti illi, ne unquam arcanis quoque enunciatis evinceremus eos esse atheos, ab irrationali sententia atque inlicito conatu nonnihil cessarent. At quoniam eos video neque permotos modestia nostra neque pensi habentes, quomodo Deus ab eorum maledictis lacessitus iram differat ut vel pudefacti convertantur vel obdurantes iuste iudicentur, coactus*

1 Tertull. - *Adv. Hermog. I.*

2 Idem, - *De praescr. XXX. XXXIII; Adv. Hermog. I.*

3 Idem, - *Adv. Valentinian. IV.*

4 *Philos. - VI*, 35.

5 Ἑρμογένης δέ τις καὶ αὐτὸς νομίσας τι καινὸν φρονεῖν, ἔφη τὸν θεὸν ἐξ ὕλης συγχρόνου καὶ ἀγεννήτου πάντα πεποιηκέναι . . . Ταῦτα μὲν οὖν Ἑρμογένης ἐπεχείρει. *Philos. - VIII*, 17.

progredior indicaturus invulgata eorum mysteria 1. Qua praefatione significatur, auctorem huius operis, priusquam huic perscribendo animum appelleret, breviore aliqua et generali haereseon refutatione contentum ab haereticorum erroribus exagitandis abstinuisse. Sed quo pacto Tertullianus dissimulare seipsum aut suipsius oblivisci potuit in tantum ut huiusmodi prooemio prolixiorem hanc oppugnationem auspicaretur? Enimvero is post editum *De praescriptionibus* opusculum plurima vulgarat opera quibus haereticorum increpantur vitia, commenta refelluntur, arcana revelantur. Id autem acerbe adeo violenterque praestiterat ut prae illis vetustioribus novissima haec lucubratio propemodum lenitatis ac modestiae specimen haberi posset. Eo quippe temporis intervallo Tertullianus haereticorum *blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus* (quae sunt Vincentii lirinensis verba) *velut quibusdam fulminibus everterat*. Praeter alia, 'quae forte a nobis ignorantur, huiusmodi sunt quae ipse contra Hermogenem scripserat, contra Valentinianos, contra Praxean, contra haereticos *martyrii refragatores*, contra Marcionem, contra Apellecianos, contra quatuor haereses *De carne Christi*, cum eoque opusculo nexus *De carnis resurrectione* libellus. Super haec per idem tempus non acerba minus contra catholicos ediderat opera *De fuga*, *De monogamia*, *De ieiuniis*, *De pudicitia*, *De ecstasi*. Quam porro inique cum catholicis, quam inclementer cum haereticis egerit Septimius, neminem arbitror latere, nisi forte quem ipsum Septimii Tertulliani nomen lateat. Ad memoriam tamen excitandam unum subiiciam locum qui Tertulliani consilium praefert auctoris nostri *prooemio* plane contrarium. *Valentiani...nihil magis curant*

1 (Αἱρετικῶν) καὶ πάλαι μετρίως τὰ δόγματα ἐξεθέμεθα, οὐ κατὰ λεπτὸν ἐπιδείξαντες, ἀλλὰ ἁδρομερῶς ἐλέγξαντες, μὴ ἂν ἄξιον ἡγησάμενοι τὰ ἄῤῥητα αὐτῶν εἰς φῶς ἄγειν, ὅπως δι' αἰνιγμάτων ἡμῶν ἐκθεμένων τὰ δόξαντα αὐτοῖς αἰσχυνθέντες, μήποτε καὶ τὰ ἄῤῥητα ἐξειπόντες ἀθέους ἐπιδείξωμεν, παύσωνταί τι τῆς ἀλογίστου γνώμης καὶ ἀθεμίτου ἐπιχειρήσεως. Ἀλλ' ἐπεὶ ὁρῶ μὴ δυσωπουμένους αὐτοὺς τὴν ἡμετέραν ἐπιείκειαν μήτε λογιζομένους, ὡς θεὸς μακροθυμεῖ ὑπ' αὐτῶν βλασφημούμενος, ὅπως ἢ αἰδεσθέντες μετανοήσωσιν ἢ ἐπιμείναντες δικαίως κριθῶσι, βιασθεὶς πρόειμι δείξων αὐτῶν τὰ ἀπόῤῥητα μυστήρια, κ. τ. λ. *Philos.* - *Pag.* 2.

quam occultare quod praedicant; si tamen praedicant qui occultant. Et tamen simplices nos omnia scimus. Denique hunc primum cuneum congressionis armavimus detectorem et designatorem totius conscientiae ipsorum; primamque hanc victoriam auspicamur: quia quod tanto impendio absconditur, etiam solummodo demonstrare, destruere est 1.

Quibus animadversis, quum scriptor *Philosophumenon* nuspiam respicial ad ea, quae Tertullianus contra singulos haeresiarchas ediderat, diserteque testetur, temperasse se ab haereticorum dogmatis particulatim refellendis, plane alius fuisse videtur quam Tertullianus qui tanquam pugil solis ac pulveris patientissimus haereticos insectando vitam ferme totam in agone transegerat.

CAPUT XX.

Montanistarum reprehensio, quae in hac refutatione legitur, aegre cum Tertulliano componi potest.

Propositis hactenus difficultatibus alia difficultas accedit quae nescio utrum repetitis Tertulliani variationibus explicari possit. Oritur haec e Montanistarum confutatione, quam huic operi contra omnes haereses composito auctor inseruit, quamque profecto Tertullianus nequaquam inseruisset. Fac enim, Tertullianum fuisse libri huius auctorem. Quemnam, cedo, Tertullianum huius libri scriptorem facias? Neque catholicum certe neque montanistam; quum alterutrius professionis homines heic haereticis accenseantur. Num eundem a catholicis abalienatum, necdum tamen ad montanistas transgressum? At liber scriptus est post Callisti pontificatum (quod in loco demonstrabitur), Tertullianus autem ante Callistum pontificem ad Montanum transfugit. Superest igitur ut censeas, hunc librum compositum ab eo fuisse, postquam ipse a Montanistis divisus novam sectam instituit. — Audiamus iam, quomodo scriptor huius operis de montanistis loquatur. *Alii porro,*

1 Tertull. - *Adv. Valentinian. I. III.*

inquit, et ipsi natura haeretici, phryges genere, capti deceptique sunt a mulierculis, Priscilla et Maximilla, quas prophetides existimant. In has venisse aiunt Spiritum paracletum, et prae illis Montanum quemdam itidem honorant ut prophetam. Quorum habentes infinita volumina falluntur, dum neque ea quae ab ipsis dicta sunt, ratione perpendunt, neque iis fidunt qui iudicium ferre de ea re possunt; sed fide in ipsos temere utuntur, maius aliquid per eos se didicisse affirmantes, quam ex lege ac prophetis atque evangeliis. Sic autem super Apostolos atque omne charisma eas mulierculas efferunt, ut quidam eorum audeant dicere, in his amplius aliquid, quam in Christo, fuisse. Hi quidem Deum, universorum patrem omniumque creatorem, similiter atque Ecclesia, agnoscunt, item ea quae de Christo testatur Evangelium: sed nova ieunia et festa et xerophagias et raphanophagias inducunt, aientes, se a mulierculis fuisse edoctos. Ex iis vero quidam sectae Noëtianorum consentientes, Patrem ipsum esse Filium dicunt eumdemque nativitatem et passionem et mortem subiisse. De his iterum enucleatius disseram: quandoquidem multis ad malefaciendum ansa fuit horum haeresis. Satis itaque de his etiam dictum esse iudicamus, quum paucis multos nugatorios eorum et libros et ausus omnibus indicaverimus, enerves quippe nulloque respectu dignos, quibuscum res esse non debet iis qui sanam habent mentem 1. Haec ille in ea codicis parte quae nullum depravatae scri-

1 Ἕτεροι δὲ καὶ αὐτοὶ αἱρετικώτεροι τὴν φύσιν, Φρύγες τὸ γένος, προληφθέντες ὑπὸ γυναίων ἠπάτηνται, Πρισκίλλης τινὸς καὶ Μαξιμίλλης καλουμένων, ἃς προφήτιδας νομίζουσιν. Ἐν ταύταις τὸ παράκλητον πνεῦμα κεχωρηκέναι λέγοντες καὶ τινα πρὸ αὐτῶν Μοντανὸν ὁμοίως δοξάζουσιν ὡς προφήτην· ὧν βίβλους ἀπείρους ἔχοντες πλανῶνται, μήτε τὰ ὑπ᾽ αὐτῶν λελαλημένα λόγῳ κρίναντες, μήτε τοῖς κρῖναι δυναμένοις προσέχοντες, ἀλλ᾽ ἀκρίτως τῇ πρὸς αὐτοὺς πίστει προσφέρονται, πλεῖόν τι δι᾽ αὐτῶν φάσκοντες ὡς μεμαθηκέναι ἢ ἐκ νόμου καὶ προφητῶν καὶ τῶν εὐαγγελίων. Ὑπὲρ δὲ ἀποστόλους καὶ πᾶν χάρισμα ταῦτα τὰ γύναια δοξάζουσιν, ὡς τολμᾶν πλεῖόν τι Χριστοῦ ἐν τούτοις λέγειν τινὰς αὐτῶν γεγονέναι. Οὗτοι τὸν μὲν πατέρα τῶν ὅλων θεὸν καὶ πάντων κτίστην ὁμοίως τῇ ἐκκλησίᾳ ὁμολογοῦσι, καὶ ὅσα τὸ εὐαγγέλιον περὶ τοῦ Χριστοῦ μαρτυρεῖ, καινίζουσί τε νηστείας καὶ ἑορτὰς καὶ ξηροφαγίας καὶ ῥαφανοφαγίας φάσκοντες ὑπὸ τῶν γυναίων δεδιδάχθαι. Τινὲς δὲ αὐτῶν τῇ τῶν Νοητιανῶν αἱρέσει συντιθέμενοι τὸν πατέρα αὐτὸν εἶναι τὸν υἱὸν λέγουσι, καὶ τοῦτον ὑπὸ γένεσιν καὶ πάθος καὶ θάνατον ἐληλυθέναι. Περὶ τούτων αὖθις, λε-

ptionis vestigium prodit. Quibus ad amussim respondent quae in epilogo repetuntur in hunc modum: *Phryges ex Montano quodam et Priscilla et Maximilla capientes initia haereseos, prophetides mulierculas et prophetam esse Montanum rati, de iis quae pertinent ad universitatis originem ac molitionem, recte loqui censentur, quaeque ad Christum spectant, non haeretice assumpserunt. Sed cum iis quos ante memoravimus, falluntur; quorum libris super evangelia fidentes errant, ieiunia vana atque absurda statuentes* 1.

Cruicio quidem notabilis visa est ea loquendi ratio de libris Montanistarum, quam auctor sibi excidere passus est, perinde quasi eius animum a Montani doctrina non omnino alienum fuisse demonstraret. Contextus tamen universus, qui eiusmodi libros uti *nugatorios*, exagitat, postulare videtur ut ea locutio per se anceps in sequiorem partem accipiatur.

His animadversis, equidem non video, quo pacto possit huius reprehensionis auctor censeri Tertullianus. Is enim erat publicus Montani sectator anno christiano biscentesimo septimo, quod apparet ex primo contra Marcionem libro, imo vero iam inde ab anno biscentesimo secundo, uti ex libello *De corona* Lumperus effecit. Etsi autem ignoramus quoto anno a montanistis discesserit, novimus tamen ex opusculis *De pudicitia* et *De ieiuniis*, cum anno illius seculi vicesimo septimo fuisse adhuc Montano perdite addictum. Unde intelligimus, Tertullianum viginti quinque minimum annos inter Montanistas publico doctoris et vindicis munere functum es-

πτομερέστερον ἐκθήσομαι · πολλοῖς γὰρ ἀφορμὴ κακῶν γεγένηται ἡ τούτων αἵρεσις. Ἱκανὰ μὲν οὖν καὶ τὰ περὶ τούτων εἰρημένα κρίνομεν, δι᾽ ὀλίγων τὰ πολλὰ φλύαρα αὐτῶν βιβλία τε καὶ ἐπιχειρήματα πᾶσιν ἐπιδείξαντες ἀσθενῆ ὄντα καὶ μηδενὸς λόγου ἄξια, οἷς οὐ χρὴ προσέχειν τοὺς ὑγιαίνοντα νοῦν κεκτημένους. *Philos.* - *VIII*, 19.

1 Οἱ δὲ Φρύγες ἐκ Μοντάνου τινὸς καὶ Πρισκίλλης καὶ Μαξιμίλλης τὰς ἀρχὰς τῆς αἱρέσεως λαβόντες, προφήτιδας τὰ γύναια νομίζοντες καὶ προφήτην τὸν Μοντᾶνον, τὰ δὲ περὶ τῆς τοῦ παντὸς ἀρχῆς καὶ δημιουργίας ὀρθῶς λέγειν νομίζονται καὶ τὰ περὶ τὸν Χριστὸν οὐκ ἀλλοτρίως προσειλήφασιν · σὺν δὲ τοῖς προειρημένοις σφάλλονται, ὧν τοῖς λόγοις ὑπὲρ τὰ εὐαγγέλια προσέχοντες πλανῶνται, νηστείας κενὰς καὶ παραδόσεις (*Dunckerus legit* παραδόξους) ὁρίζοντες. Ibid. - X, 25.

se. Quo temporis intervallo is palam docuerat graece et latine, quo latius Montanistarum caussae prospiceret: *Iustitiam primo fuisse in rudimentis; dehinc per legem et prophetas promovisse in infantiam; dehinc per evangelium efferbuisse in iuventutem; et tandem per Paracletum Montani ad maturitatem et perfectionem suam pervenisse* [1]. Conquestus de catholicis fuerat eo praesertim nomine quod Montanistarum ieiunia, tanquam nova, improbarent: *Propter hoc*, inquiens, *novae prophetiae recusantur: non quod alium Deum praedicent Montanus et Priscilla et Maximilla, nec quod Iesum Christum solvant, nec quod aliquam fidei aut spei regulam evertant: sed quod plane doceant saepius ieiunare quam nubere . . . Arguunt nos quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus, quod etiam xerophagias observemus . . . Novitatem igitur obiectant, de cuius inlicito praescribant aut haeresim iudicandam, si humana praesumptio est, aut pseudoprophetiam pronuntiandam, si spiritalis indictio est, dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter adnuntiamus* [2]. Qua criminatione perculsus impiger ille Montanistarum patronus exceptionem novitatis simul et inanitatis repellere conatus fuerat. Inquit enim: *Propterea per singulas direximus species ieiunationum, xerophagiarum, stationum, ut dum recensemus secundum utriusque testamenti paraturam quantum proficiant recusati vel retardati pabuli officia, eos retundamus qui haec velut vacantia infirmant. Item dum pariter ostendimus quo semper in ordine fuerint religionis, eos revincamus qui haec ut nova accusant. Nec novum enim quod semper, nec vacuum quod utile* [3]. Fuerat idem inter Montanistas concionator insignis et praeter plurima opera, quibus eorum caussam propugnaverat, septem *De ecstasi* libros ediderat contra catholicos pseudoprophetiae oppugnatores. Quo autem animo tunc esset erga Montanum eiusque mulierculas liquido apparet ex ipsius libris, quibus *Pa-*

1 TERTULL. - *De vel. virgg. VIII.*
2 Idem, - *De ieiun. I.*
3 Idem, - *Ibid. XI.*

racletus in prophetis novis perque prophetidem Priscam luculenter locutus christianorum dogmatum testis datur [1]. Quid? quod suam de anima colorata opinionem viso mulierculae montanistidis comprobarat, contendens *probari* ab suis gregalibus *spiritus*, quo temeritatis exceptionem occuparet [2]?

Atqui haec ipsa singillatim omnia scriptor huius operis praefracte damnat in Montanistis: idque agit ubi maximum sacrorum antistitem eumdemque implacabilem haereticorum oppugnatorem se ipse praedicat. Quaecumque igitur hoc in loco redarguuntur, si Tertullianus fuisset huius operis auctor, in ipsum accusatorem plane reciderent. At vero sic omnes natura comparati sumus, ut siquando sententiam antea propugnatam in ipso adversariorum conspectu repudiare cogimur, ab excusatione afferenda temperare nequeamus. Idquo eo vel magis, natura impellente, praestamus, quum videri volumus ingenui veritatis propugnatores: maxime vero quum a sententia discessimus, quam prius veluti divinitus acceptam publice, seu voce seu scripto, defenderamus. Ita sane agit Septimius ubi de poenitentia secus statuens, quam ante docuerat, progressionem excusat et Paracleti institutionem qua ipse doctior evaserat [3]. Ita plane se gerit ubi secessionem a catholicis commemorans discessus caussam affert Paracleti agnitionem ac defensionem [4]. Ita demum ubi de patientia scribere instituens ultro fatetur, esse se *aegrum semper caloribus impatientiae*, at simul sperat, confessionem hanc suam in eius virtutis commendationem esse cessuram [5]. Igitur si forte Septimius, repudiata Montani secta, haereses omnes refutaro aggressus esset, vel prudenter, simulato contemptu, siluisset de Montanistis, quibus tamdiu tantoque cum strepitu patrocinatus fuerat, vel certe ita illos reprehendisset, ut, quae Montani dogmata ipso propugnaverat, silentio te-

1 Tertull. - *De pud. XXI; De res. carn. X.*
2 Idem, - *De anima IX.*
3 Idem, - *De pud. I.*,
4 Idem, - *Adv. Prax. I.*
5 Idem, - *De patient. I*

geret. Cuius porro oeconomiae specimen exhibet auctor huius operis, ubi communia sibi ac nonnullis haereticis placita nequaquam commemorat, itemque ubi notat, praetermitti ab se data opera Noachitas aliosque eiusdem furfuris haereticos nequis forte ulla eos aestimatione dignos duceret [1]. Erat autem cur Tertullianus omnes haereticos refellens a montanistis commemorandis abstineret. Namque ipse quondam hoc etiam obtentu catholicos perstrinxerat, quod montanistas fide licet cum ipsis consentientes haereticorum loco haberent. *Adversarius enim spiritus*, aiebat Septimius, *ex diversitate praedicationis appareret primo regulam adulterans fidei et ita ordinem adulterans disciplinae: quia cuius gradus prior est, eius corruptela antecedit, idest, fidei quae prior est disciplina. Ante quis de Deo haereticus sit necesse est, et tunc de instituto* [2]. Ex quo alius consurgit obex, ne hanc montanistarum confutationem Tertulliano tribuamus. Quamvis enim auctor huius libri fateatur, Montanistas de Deo, de Christo, de rerum creatione recte sentire, nihilominus eos haereticis accenset. Nec satis habet eos vocare haereticos, at multo quam ceteros, significantius αἱρετικωτέρους τὴν φύσιν appellat. Gemina locutione paullo superius ipse appellaverat μαχιμωτέρους τὸν τρόπον *ex instituto pugnaciores* Quartadecimanos, quorum tumultus exeunte altero christiano seculo universam ecclesiam perturbaverant. Prae ceteris igitur haereticos, imo vero natura haereticos appellat Montanistas, tam longe abest quin ipse olim eiusdem dogmatis defensor exstiterit.

Dixerit fortasse quispiam, fieri potuisse ut Septimius ante hanc haereseon confutationem aliis forte operibus suam a Montanistis discessionem purgaverit. Non enim omnia scriptoris illius opera tulerunt aetatem: imo vero plurima dudum, ante ipsam Hieronymi aetatem, interciderunt. Ad reprehensionem autem catholicorum atque haereticorum praecavendam opus non fuisse, ut quas habuerat recedendi caussas iterum iterumque memoraret. — Equi-

1 *Philos. - VIII*, 20.
2 Tertull. - *De monog. II* coll. *De vel. virgg. I, II; De ieiun. I, II*

dem tamen vereor, ne proposita superius difficultas maior sit quam ut ea ratione complanari possit. Quod maxime vereor dum veterum de postrema illa Tertulliani variatione silentium mecum ipse reputo. Augustinus quidem de illa obiter meminit, neutiquam fortasse illam memoraturus nisi forte ipse extremas Tertullianistarum reliquias intra Ecclesiae gremium collegisset [1]. Post Augustinum unus haereseographus ignoti nominis perturbate admodum, ut solet, illam Augustini relationem edisserit [2]. Ceteri omnes, qui meminerunt Tertulliani in suis operibus, ut Lactantius, Pacianus, Hilarius, Philastrius, Ambrosius, Hieronymus, Vincentius lirinensis, illam variationem nequaquam attingunt. Atqui eorum plerique multo vehementius reiecissent obiectam ab haereticis auctoritatem Tertulliani, si postremam illam transitionem habuissent compertam: comperissent autem, si Tertullianus purgandi sui gratia de sua illa discessione scripsisset. Longe igitur abest quin probari possit quod superius allatum est ad nodum propositae difficultatis expediendum.

Et sane Hieronymus nulla Tertulliani opuscula contra Montanistas vulgata legit. Tradit enim, Tertullianum nequaquam ultra annum biscentesimum decimum septimum floruisse: quo tempore is Montani dogmata pertinaciter propugnabat. Augustinus ipse, qui plura certo de Tertulliano rescire potuit e Tertullianistis, notat illum ad Montanistas defecisse *quos ante destruxerat;* hos fuisse deinceps a Tertulliano oppugnatos, minime notat. Defloruerat igitur Septimius Florens Tertullianus, quum se ad extremum divisit a Montanistis ac seorsim prope Carthaginem sua conventicula propagavit. Ponamus tamen, eum ad insignem omnium haereseon confutationem manum admovisse, postquam alienato a Montanistis animo coetum sui nominis instituit. Quo pacto fieri poterat, ut ipse, orienti iuxta et occidenti notissimus a propugnatis Montanistis, reprobaret heic, nulla exceptione aut excusatione interiecta, quae palam antea defenderat? Qui potuit superbissimus homo

1 August. - *Haer. LXXXVI.*

2 Scriptor anonymus apud Sirmondum, - *Haer. LXXXVI.*

animum inducere, id ut ageret in conspectu catholicorum atque haereticorum, ipsorumque adeo Montanistarum? idque opere apprime insigni quo se profligatorem haereseon iactat, et Graecos Latinosque linguae utriusque peritos diserte alloquitur?

Haec mihi tanti sunt ut reverti cogar ad indicia superius commemorata pauloque diligentius expendere utrum iis obiecta difficultas praeponderetur.

CAPUT XXI.

De nexu quo libellus Tertulliani De praescriptionibus *atque haec haereseon confutatio se mutuo excipiunt.*

Ordior ab indicio quod ab huius operis praefatione elicitur, perinde quasi Tertulliani libellus *De praescriptionibus*, tanquam opus auctoris *Philosophumenon*, ibidem indicaretur. Aiunt enim, non aliud opus, quam illud ipsum, his auctoris vocibus designari: *Haereticorum placita etiam olim exposuimus, modeste tamen, non particulatim indicando sed gregatim refellendo, indignum rati arcana ipsorum proferre in lucem.* Quae verba quum in illum Tertulliani librum apte cadant, quaeri nihilominus potest primum an Tertulliano congruant, cui solemnes atque usitatae sunt certae quaedam loquendi formulae; deinde an eadem in illam Tertulliani lucubrationem unice quadrent. His enim duobus quasi anulis constare debet nexus qui forte inter illa auctoris verba et libellum *De praescriptionibus* intercedat. Hac expedita quaestione, iudicium instituetur de nexu quo haec haereseon refutatio cum breviore illa iungi videtur.

Revocetur heic quod superius [1] adnotavimus ad illius prooemii contextum, qui parum Tertulliano consentaneus videtur, quum scriptorem arguat in refutandis haereticis longe Septimio temperantiorem. Si enim prooemium universum ab eo scriptore alienum est, illa etiam vetustioris ac brevioris confutationis mentio ab eo-

1 *Cap. XIX.*

dem abhorrere censenda erit. Sed animadvertatur praeterea, libellum *De praescriptionibus* apud Tertullianum aliis plane locutionibus constanter indicari, cuiusmodi profecto sunt quae sequuntur. — *Actum est a nobis adversus haereses omnes certis et iustis et necessariis* PRAESCRIPTIONIBUS *repellendas a collatione Scripturarum* 1. — *Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus haereticos etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de* PRAESCRIPTIONE *novitatis* 2: — *Sed plenius eiusmodi* PRAESCRIPTIONIBUS *adversus omnes haereses alibi iam usi sumus* 3. — *Peraeque adversus universas haereses iam hinc praeiudicatum sit, id esse verum quodcumque primum, id esse adulterum quodcumque posterius: sed salva illa* PRAESCRIPTIONE, *utique tamen propter instructionem et munitionem quorumdam dandus est etiam retractatibus locus* 4. — Animadvertatur etiam, compendiariam hanc refutandi rationem apud Tertullianum non alio quam *praescriptionis* vocabulo designari; ut cum scribit: *Soleo in* PRAESCRIPTIONE *adversus haereses omnes de testimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam nostram omni haeretica posteritate* 5: vel alio loco: *Solemus haereticis compendii gratia de posteritate* PRAESCRIBERE 6. — Postremo animadvertatur, forensem eiusmodi locutionem viro illi romani iuris consultissimo adeo placuisse ut plane aliud agens eam saepissime usurpet 7. Quum igitur haec loquendi formula tam sit in Tertulliano constans, si forte ipse in hac haereseon confutatione opusculum illud memorare voluisset, his certe vel similibus vocibus usus esset: Τῶν αἱρετικῶν καὶ πάλαι μετρίως τὰ δόγματα ἐξεθέμεθα ΠΑΡΑΓΡΑΦΗΝ δόντες τῆς καινότητος. . . . aut . . . . ἐξεθέμεθα οὐ κατὰ λεπτὸν

1 TERTULL. - *De praescr. XLV.*
2 Idem, - *Adv. Marc. I,* 1.
3 Idem, - *De car. Chr. II.*
4 Idem, - *Adv. Prax. II.*
5 Idem, - *Adv. Marc. V,* 19.
6 Idem, - *Adv. Hermog. I.*
7 Idem, - *Apolog. VII; Adv. Prax. XX; Adv. Marc. III,* 16 *et IV,* 1, 5, 6; *Adv. Iud. III; De pat. IV; De bapt. III;* alibi.

ἐπιδείξαντες, ἀλλ' ἁδρομερῶς διὰ ΠΑΡΑΓΡΑΦΗΣ ἐλέγξαντες κ. τ. λ. *Praescriptionis* nempe (τῆς παραγραφῆς) nomen Tertullianus ex more usurpasset, siquidem se ipse indicare voluisset. Idque eo vel magis quod haereses universae, missa etiam novitatis exceptione, refelli aliter possunt. Hoc enim unum ad generalem haereseon confutationem postulatur, ut ostendas, carere sectas acatholicas unoquolibet ex iis lineamentis quae Christi ecclesiam ab humano quovis coetu discriminant. Sic plures Valentini sectas Irenaeus ex earum inconstantia, sic Rhodon discipulos Marcionis ex eorum inter se pugna revicit. Sed iam ad alteram quaestionem conversi sumus qua quaerebatur, utrum ea descriptio in illum Tertulliani libellum unice caderet. Si enim aliter, quam adhibito praescriptionis argumento, universae confertim haereses confutari possunt, fieri profecto potest ut alius plane liber per ea verba indicetur. Huc accedit quod adverbium illud ἁδρομερῶς reddi etiam potest *quoad crassiores partes*, dum opposita formula κατὰ λεπτὸν *minutatim* significat. Quo sic accepto, illa descriptio significaret, haereticorum errores in illo opusculo non fuisse minutatim expositos, sed per summa capita refutatos. At hoc apologetis omnino pluribus commune fuit qui adversus haereses opuscula ediderunt. Sive igitur pressius sive latius intelligatur ea loquendi formula, post tantam veterum opusculorum iacturam, affirmari tuto nequit, celebrem Tertulliani libellum *De praescriptionibus* per eas voces designari. — Quid ? quod ipsa mentio huius libelli summam imprudentiam in Tertulliano argueret, si ponamus, eum fuisse *Philosophumenon* auctorem? Namque hoc in opere accensentur haereticis Tatianus, Eucratitae, Montanistae, Quartadecimani, qui tantum *instituto* (περὶ πολιτείαν), non etiam *fide* ab ecclesia dissidere, ibidem perhibentur. Tertulliano autem iudice tum alias tum in libello *De praescriptionibus*, quicumque ab ecclesia differunt *conversatione*, *instituto*, *disciplina*, quum ceteroqui concordent *fide*, *praedicatione*, *doctrina*, non sunt inter haereticos ablegandi. Nonne igitur eius mentionis opportunitatem nacti, qui hoc in opere contra Tertulliani morem haeretici audivissent, oblatis ab ipso Tertulliano armis crimen illud propulsassent? Ne-

que enim profecto iniuria in Tertullianum intorquere iidem potuissent illud eiusdem Tertulliani: *Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa* 1: quod Valentiniani ante Tertullianum catholicis immerito obiectabant 2. Sed satis de habitu earum vocum ad librum *De praescriptionibus*: praestat iam animum advertere ad habitudinem qua haec haereseon refutatio ad breviorem illam refertur.

Nemo certe negaverit, in eo Tertulliani opusculo quasi semina reperiri ex quibus graeca haec haereticorum refutatio pullulare potuerit. At in re litteraria saepissime contingit ut iacta ab altero semina excipiat alter atque explicet. Cuius rei exemplum suppetit in hoc ipso argumento de quo agimus. Etenim quae paullo ante scriptorem *Philosophumenon* Tertullianus, ea paullo ante Tertullianum Irenaeus notaverat haereticorum commercia cum praestigiatoribus, cum astrologis, cum philosophis; et valentinianam haeresim nominatim e pythagoreo fonte, ceterorum vero gnosticorum commenta generatim ex erroribus philosophorum repetenda esse demonstraverat 3. Igitur Irenaeo potius, quam Tertulliano, prima illius confutationis rudimenta debentur: nec propterea Tertullianum huius libri auctorem inde agnoscamus necesse est. — At enim ipsi forte Irenaeo non secus ac ceteris haereseon oppugnatoribus, quum earum satores refellendi erant, ob oculos versabatur paullinum illud: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum* 4. Quum autem haeretici primo alteroque seculo christiano scholarum in morem plurimas instituissent sectas, perque omnes errorum flexus circumlati a veritate aberrassent, eorum cum philosophis cognatio in omnium oculos incurrebat. Quamobrem Ecclesiae doctores hoc passim nomine haeresiarchas revicerunt.

1 TERTULL. - *De praescr. XXI.*

2 IREN. - *Adv. haer. III*, 15.

3 IREN. - *Adv. haer. I*, 13; *II*, 31 §§ 2, 3; 32, §§ 3-5; *II*, 31, § 1; *I*, 1; *II*, 14 coll. *Philos.* - *I; VI*, 21; alibi.

4 *Coloss.* - *II*, 8.

Quid loquar de Melitone sardensi episcopo? (apposite ad rem nostram Hieronymus) *Quid de Apollinario hierapolitanae ecclesiae sacerdote, Dionysioque Corinthiorum episcopo, et Tatiano et Bardesane et Irenaeo Pothini martyris successore, qui origines haereseon singularum et ex quibus philosophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt* [1]? Non paucis igitur ecclesiae scriptoribus ante ipsam Tertulliani aetatem commune fuit, heterodoxis occurrere hoc nomine quod suas ipsi novitates e media ethnicorum philosophia duxissent, minime vero ab apostolis traditas aut litteris consignatas accepissent. Quod aliis etiam post Tertulliani tempora usitatum scimus. Hoc unum in illo refutandi genere interfuit inter orientales (potissimum alexandrinos) ac ceteros eius aevi doctores, quod priores illi ob theoreticum orientis ingenium scholarumque propinquitatem accuratius seiungere consueverunt rectam philosophandi rationem a perversa, posteriores vero longius ab eo sectarum emporio dissiti practicamque occidentis indolem participantes diligentiore illa distinctione minus indiguerunt [2]. Cui fortasse discrimini non minimum momenti attulit situs ipse Urbis ecclesiae principis cuius auctoritas propius attingebat christianum occidentem et cuiuscumque novitatis refutationem longe expeditiorem faciebat.

Quae quum ita sint, merito concludere mihi videor, neque universi operis ductum, neque praefationis contextum, neque brevioris illius confutationis mentionem esse huiusmodi ut eundem *Philosophumenon* ac libelli *De praescriptionibus* auctorem demonstret.

1 HIERON. - *Ep. LXX ad Magnum* coll. *Comment. in Naum III*, 13, *seqq.*

2 Speciminis gratia conferri possunt IUSTIN. - *Apol. I c. XLVI et Cohort. ad Graecos*; IREN. - *Adv. haer. II*, 9, § 1 *et* 14, § 7; TERTULL. - *De res. carn. XII, De anima II, De praescr. VII*; CLEM. alex. - *Strom. I*, 5, 7 *et* V, 14; ORIG. - *Ep. ad Greg. neoc. et Hom. VII in Iosue.*

CAPUT XXII.

An liber De mundi essentia *Tertullianum clamet auctorem.*

Convertor nunc ad commemoratum *De mundi essentia* volumen quod scriptor *Philosophumenon* sibi tribuit, quodque quum singularem de anima corporea sententiam tueatur, ad Tertullianum pertinere visum est. Tota plane huius indicii vis vertitur in relatione Photii, qui tamen anceps haerebat num lectus ab se liber esset idem ille quem in extremo *Labyrintho* memoratum narrat. Qua de re si Photius dubitavit, etsi librum *De mundi essentia* ob oculos haberet, eruditis Photio recentioribus post eius libri iacturam fortasse magis est ambigendum. Sed hoc etiam misso, videamus an eiusmodi indicium sibi constet ac Tertullianum nominatim designet. Quorum alterum postulat ut sententia Tertulliani apte cum auctoris opinione congruat, alterum ut eadem illa sententia Tertulliano priva fuerit.

Ut a primo statim ordiar, discrepat ab opinione Tertulliani sententia scriptoris qui librum *De mundi essentia* composuit. Hic enim fuit in sententia eorum qui iuxta graeci nominis originem (ψυχὴ ἀπὸ τοῦ ψύχειν) arbitrabantur animum frigidioris esse naturae. *Spiritus*, inquit ipse apud Photium, *corpori conformatus . . . . naturam habet frigidiorem ad tria illa per quae corpus compactum est* [1]. Ex adverso Tertullianus eos carpit philosophos, *qui iam natis animam superducunt ex aëris frigidi pulsu, quia et ipsum vocabulum animae penes Graecos de refrigeratione respondeat* [2]; nec ullam in *plenissimo* illo (quem ipse vocat) *de anima tractatu* mentionem infert sententiae quae humani corporis elementis frigidiorem esse animam pronunciat. Imo vero negat Septimius frigidiorem esse animi naturam. Calorem quippe corporis humani ex

1 Ὅ (πνεῦμα) τῷ σώματι συμπλασθὲν . . . τὴν οὐσίαν ψυχρότερον ὑπάρχει πρὸς τὰ τρία δι' ὧν τὸ σῶμα συνήρμοσται. Ap. Phot. - *Cod. XLVIII.*

2 Tertull. - *De anima XXV.*

animali substantia repetit atque obiectam e vocis etymo ratiunculam non inficete diluit aiens: *Etsi frigidum nomen est anima Graecorum, quare corpus, exempta ea, friget* 1? Oppositam ergo Tertullianus opinionem sequebatur, iis forte assentiens, qui, Chrysippo teste 2, animum esse *ferventem spiritum*, πνεῦμα ἔνθερμον, censebant.

Fac tamen unam utriusque libri esse sententiam, vel pone Tertullianum ex alia in aliam opinionem abiisse. Numquid in ea sententiarum varietate, quae ante prolatum ab ecclesia iudicium christianos de anima disceptantes divisit, unus Tertullianus censuit, humanum animum esse corpori conformatum? Minime sane: quando et eam sententiam et universam illam commentandi rationem Tertullianus ex Irenaeo mutuatus est. Similia utriusque loca in medium afferam quo facilius ea conferantur. — *Ipsae animae*, inquit Irenaeus 3, *corporis habent figuram. Ipsi enim adaptatae sunt vasi, quemadmodum praediximus.* Praemiserat autem similitudinem e glacie petitam his vocibus: *Quo modo aqua in vas missa ipsius vasis habebit formam: et iam si gelaverit in eo, speciem habebit vasculi in quo gelavit.* Quibus profecto gemina sunt quae Tertullianus ita expressit: *Recogita . . . quum Deus flasset in faciem hominis flatum vitae, et factus esset homo in animam vivam, totum ubique per faciem statim flatum illum in interiora transmissum et per universa corporis spatia diffusum, simulque divina adspiratione densatum omni intus linea expressum esse, quam densatus impleverat, et velut in forma gelasse* 4. Uterque ad ratiocinandum adhibet evangelicam *De divite et mendico* narrationem; ex qua Irenaeus infert *et perseverare animas et non de corpore in corpus transire et habere hominis figuram ut etiam cognoscantur*, Tertullianus vero duriter admodum ac praefracte concludit, *animam esse corpus* 5. Uterque demum aeque solicitus

1 Idem, - *Ibidem XXVII.*
2 Apud Plutarch. - *De pugn. Stoic. XXXVIII.*
3 Iren. - *Adv. haer. II,* 19 § 6.
4 Tertull. - *De anima IX.*
5 Iren. - *Adv. haer. II,* 34; Tertull. - *De anima VII.*

est de tuenda distinctione animi ac spiritus [1] ut suam de anima sententiam propugnet.

Huius loci non est exquirere quasnam notiones subiecerint ambiguis *formae*, *figurae*, *corporis* nominibus veteres illi qui huiusmodi sententiam propugnarunt. Nequis tamen putet, quidquam labis vel Irenaeo vel aliis orthodoxis doctoribus inhaesisse ob insolentes illas loquendi formulas, historicam earum rationem cursim attingam. Res nimirum illis erat cum haereticis omnino plurimis qui angelos hominumque animos ex divina substantia manasse pronunciabant. His ut occurrerent, prisci illi patres contenderunt, angelos hominumque animos differre prorsus a *Spiritu*, cuius nomine vel incircumscriptam Dei substantiam, vel singulas divinae Triadis hypostases, vel pressius atque constantius tertiam a Patre ac Filio personam intelligebant. Inde factum est ut iidem negarent, nomine *Spiritus* appellari posse angelos humanosque animos qui spatio simul ac tempore circumscripti sunt [2].

Hoc animadverso, mirum non est; similem esse Tertulliani atque auctoris *Philosophumenon* opinionem de natura angelorum, quae tum pluribus omnino patribus communis fuit [3] tum commemoratae de anima sententiae quodammodo innexa est. Quare haec utriusque scriptoris congruentia novi cuiusdam indicii loco esse non debet. — Levius illud est quod ex aliis libris in illo opusculo memoratis ducitur eo nomine, quod opusculi auctor aeque ac Tertullianus alibi distinctius de Christo scripserit eiusque iudiciaria potestate. Quod eo levius est quo plurium propria fuit vulgatissimi eius argumenti tractatio. — Itaque ex iis, quae hactenus notavimus, inferri quidem non potest, notam ex illo opusculo petitam Tertulliano repugnare, sed concludi non immerito potest, eam huiusmodi non esse quae Tertullianum indicet *Philosophumenon* auctorem.

1 Iren. - *Ibid. V*, 6, 8, 9; Tertull. - *Ibid. XI, XX.*
2 Consulatur Tertull. - *De anima XI, XVIII.*
3 De his fuse loquitur Petav. - *De angelis I*, 23, *III*, 2.

CAPUT XXIII.

Praxeas et Callistus.

Reliquum est argumentum quod oritur e Tertulliani opere contra Praxean quodque facile controversiam praecidere censendum esset, si forte haec duo sibi constarent, et unum *Philosophumenon* auctorem per id temporis implicitum fuisse iis disceptationibus, et reapse Praxeân fuisse Callistum. Verum ipse scriptor huius operis testatur, plures alios tunc in Urbe fuisse qui, sin minus doctrina de distinctione hypostaseon divinarum, formulis certe, quibus illa effertur, a Callisto pontifice dissidebant. Neque enim uni, sed pluribus Callistus dixisse fertur: Δίθεοί ἐστε; qui nimirum ut noëtianae contractioni obsisterent, Patrem ac Filium esse unum spiritum negabant. Quum autem eadem a pluribus tractatur controversia, quis ignorat, eadem ferme rationum momenta similesque loquendi formulas apud eos recurrere qui unam eamdemque sententiam defendunt? Nihil igitur certi exsistit, ad nostram controversiam quod attinet, ex cognatione quae intercedit inter auctoris ac Tertulliani disceptationes. Praesertim vero quum auctor *Philosophumenon* affirmet quidem, se Callisto contradixisse in controversia de Trinitate, nuspiam tamen dicat se in aliis controversiarum capitibus eidem restitisse, quemadmodum catholicis restiterat Tertullianus. — Sed nimirum quae post animadversam Christi et Praxeae similitudinem e scriptoris huius praetermissione potest oboriri suspicio, paullo sane notabilior est quam ut facile probari aut reiici leviter possit [1]. Quod non perinde accipiatur velim ac si romanae cathedrae obtrectatoribus novam

1 Eandem fortasse suspicionem volvebat Cruicius quum scripsit: *Les Montanistes, excommuniés par le pape saint Zéphyrin*, peut être aux instigations de Calliste, *s'emportèrent contre l'Eglise de Rome* cet. (Op. cit. pag. 260). Quamquam tamen controversiae praxeanae et callistianae similitudinem notasset (ibid. pag. 130), alium nihilominus fuisse Praxean, alium vero Callistum censuit (ibid. pagg. 231, 295).

calumniandi occasionem inde creari metuerem. Monuerat enim iam suo tempore Iohannes Clericus, qui nihil tale suspicabatur, parum esse Tertulliano fidendum ubi sabellianum errorem Praxeae tribuit; quum iam tum ipse Montanum tueretur Praxéaeque Montanistarum indici iratissimus esset 1. Neque vero in pretio est illa Tertulliani disceptatio, quod summa cum fide sententiam adversarii referat; sed quod invicte haeresim refellat quam sive iure sive iniuria adversario adscribit. Quamquam recte in eam lucubrationem Petavius animadvertit, audacissime ibidem loqui Tertullianum de divina Trinitate 2. Nihil igitur incommodi ex Tertulliano timendum est, si ea probetur suspicio: neque demum (ut id obiter notem) si res ita se haberet, quidquam esset nobis metuendum qui veritatem unice studemus. Notatu tamen digna mihi visa est huiusmodi suspicio, quod cum aliqua veritatis specie allegoriam hactenus ignotam simul proponere atque explanare videatur.

Quaero itaque in antecessum quid caussae potuerit esse Tertulliano cur Callisti nomen obtegeret? Num Callistum, insciis aliis, percellere voluit ut de illius recantatione deinceps gloriaretur? At adiuncta illa, quibus Praxeas describitur a Tertulliano, aegre cum allegoria componuntur quae romanos atque africanos lectores fugere debuisset. Praeterea commentarius ille post Praxeae mortem scriptus est; quippe quo emphatice perstringitur *novellitas Praxeae*, non hodierni, sed *hesterni*. *Hodiernos* autem, ut alibi notatum est, emphatice Tertullianus appellat vivos adhuc haereticos, quorum novitati *praescriptive occurrit*. Num catholicorum ac romani antistitis offensionem cavere voluit? At segregatus a catholicis, extra Europam degens, ac Montani sectatoribus adiunctus nihil sibi iam a catholicis timebat Septimius. Num iter sibi sternendum curavit ad hanc haereseon refutationem graece compositam, qua catholicos tanquam haereticos callistianos traducturus erat? Minus hoc a veritate abluderet, si liber contra Praxean scriptus in hac haereseon refutatione memoraretur. Nulla igitur ap-

1 Ioh. Cleric. - *Hist. eccl. ad an. CLXXXVI.*
2 Petav. - *Theol. dogm. T. II. De Trin. I, 5.*

paret probabilis ratio qua factum sit ut Septimius in opere latino adversarium suum tam accurate designaret ac nihilominus dignitati eius nominique parcitum vellet.

Quaero deinde qui fieri potuerit ut eam allegoriam non oriens modo, quod mirum non esset, sed occidens universus ignoraverit? Ignorarit, inquam, non dissimularit. Nam neque Sabelliani, sive Romae sive in Africa degentes, eam unquam catholicis obiectarunt, neque catholici Praxean haereticis adnumerare unquam desierunt, etsi Callisti pontificis memoriam tantopero honorarent. Eam profecto neque intellexit neque rescivit Hieronymus, licet Septimii vitam studiosius forte quam alius quispiam indagarit. Namque inter volumina, quae Septimius *specialiter adversum Ecclesiam texuit*, libros recensuit *de pudicitia*, *de persecutione*, *de ieiuniis*, *de monogamia*, *de ecstasi*, librum vero *adversus Praxean* non recensuit. Imo vero ne existimasse quidem videtur Septimium Callisto superstitem fuisse vel certe opera memoratu digna post Callistum edidisse [1]. Eam allegoriam aeque ignorarunt omnes occidentis haereseographi ut anonymus sirmondianus, ut Augustinus, ut Philastrius, ut priscus auctor catalogi haereticorum qui cum Tertulliani *Praescriptionibus* necti consuevit. Eam denique nescierunt Pacianus atque Optatus [2] qui ambo non secus ac memorati nuper haereseographi Praxean inter haereticos ablegarunt. Quae sane veterum ignoratio, si Praxeae cognomento Callistum petiit Tertullianus, eo incredibilior accidit quo vulgatiora fuerunt scripta Tertulliani quoque notior eiusdem ab Ecclesia discessus. Aegre igitur cum tanta veterum ignoratione suspicio illa componi potest.

Sed praestat notas conferre quas Praxeae Tertullianus et Callisto auctor Philosophumenon affingit. Ubi illud primo notatum velim, graecum Praxeae vocabulum uti *nomen* haud raro occurre-

1 HIERON. - *De scriptt. eccl. LIII* coll. *Chronic.* ad an. Abr. MMCCXXIII.

2 PACIAN. - *Cont. Sympron. ep. I*; OPT. - *De Schism. Donatist. I*, 9; *IV*, 5; *V*, 1.

re [1], uti *appellationem* nuspiam reperiri. Quare hoc ex capite nulla oritur necessitas nominis quaerendi quod sub eo vocabulo forte lateat. Deinde quod attinet ad illa Tertulliani verba: *Iste* (Praxeas) *primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit romanae humo:* ea si accipiantur in obvium sensum, haereseos iuxta et Praxeae profectionem ex Asia significant, nec proinde cadere in Callistum possunt. Licet autem obscurior illa interpretatio de asiana haereseos origine non omnino abhorreat a Tertulliani obscuritate, ad planiorem tamen intelligentiam contextus ipse narrationis legentem inclinat. Hac siquidem ratione intelligitur ut Praxeas *falsa* de Montano et Prisca et Maximilla, deque *Asiae et Phrygiae ecclesiis adseverasse* dicatur. Quare in hanc partem critici omnes eam Tertulliani locutionem acceperunt. Expendamus iam martyrii rationem quam Callisto ac Praxeae communem fuisse, aliud agens obiterque Doellingerus notavit. *Inflatus* exhibetur Praxeas *de iactatione martyrii*. Non item Callistus in criminosa hac narratione ob peractam fidei confessionem elatus dicitur. *Inflatus* vero Praxeas inducitur *ob solum et simplex et breve carceris taedium*. Atqui Callistus praeterea dicitur, contumelias et verbera ab Iudaeis accepisse primum, flagellis deinde a Fusciano caesus, tum in Sardiniam deportatus ibique in metalla datus fuisse. Non *solum* igitur nec *simplex carceris taedium* passus fuerat Callistus, ut concedamus brevem appellari potuisse istiusmodi poenam ad biennium vel quadriennium productam. Controversia quidem quam cum Praxeanis agit Septimius, plane gemina est illi quam auctor *Philosophumenon* cum Callisto fuisse sibi commemorat: quando uterque scriptor noëtianam haeresim adversario tribuit. Sed praeter ea; quae alibi notabuntur de discrimine doctrinae Tertullianum inter atque auctorem huius refutationis, aliquid de Praxea refertur a Tertulliano quod a nostro auctore de Callisto non dicitur. *Caverat* nempe *pristinum doctor* (Praxeas) *de emendatione sua*, eiusque rei *manebat* adhuc *apud psychicos* (catholicos) *chiro-*

1 Ap. Pausan. – 10, 19, 4; in inscript. ap. Boeckh. - Vol. I, p. 334, Vol. IV, pag. 206; in inscriptt. delphic. a Curtio ed. 4-7, 11, 12, 16, al.

graphum post Praxeae mortem, dum scriberet Tertullianus. Tale vero nihil a Callisto actum notat auctor qui ceteroquin Callisti vitam dedita opera exponit. Quin etiam id quod subiicit Tertullianus, haereseos praxeanae *semen aliquandiu per hypocrisin subdola vivacitate latitasse*, non bene Callisto accommodatur. Doctrina enim Callisti tum post tum ante susceptum ab eo pontificatum eadem ab auctore dicitur, qui Callisto haeresim noëtianam affingit: praxeana vero doctrina inde a Praxeae emendatione latuisse dicitur a Tertulliano et *denuo* post Praxeae mortem *erupisse* quum Tertullianus eam refellendam suscepit.

Quid de Sabellii apud Tertullianum praetermissione dicam, deque omissione Praxeae apud auctorem *Philosophumenon?* Non arbitror, ad suspicionem illam firmandam haec admodum valere, quamvis ad movendam valeant. Tertullianus enim non Sabellium modo praeteriit, sed Noëtum etiam ac Noëti discipulos Epigonum et Cleomenem; quod nimirum Montani studio in Praxeam invectus de Praxea refellendo unice cogitaret. Auctor vero *Philosophumenon* Praxeae mentione non indiguit tum quod ille *de emendatione sua* per *chirographum* iamdiu *caverat,* tum quod idem fortasse a Tertulliani opere magis quam ab haeresi memorabilis fuit.

CAPUT XXIV.

Biblicae lectiones conferuntur auctoris Philosophumenon *ac Tertulliani.*

Quum indicia hactenus expensa non tanti esse videantur, ut obiectae difficultates in comparatione posthaberi debeant, inquirendum superest utrum iisdem argumentis momenti satis accedat ex contentione lectionum biblicarum quas haec haereseon refutatio ac latina Tertulliani opera ostendunt.

Itaque praetermissis, uti par est, iis Bibliorum testimoniis quae consona reperiuntur receptae vulgo scriptioni versionis alexandrinae vel communi novi foederis textui, haec sunt Scripturarum loca quae in operibus nuper memoratis eamdem praeferunt

lectionem. Quo in censu constanter ordiemur a referendo Scripturae testimonio, quod apud *Philosophumenon* auctorem occurrit, sacrorumque librorum ordinem in percensendis testimoniis sequemur.

A. Commemorato Sethianorum placito de legis distributione in *prohibitoriam* (ἀπαγορευτικόν), *permittentem* (ἐφετικόν), aestimatoriam (διατιμητικόν), auctor e Sethianis affert in exemplum tertii generis tria decalogi praecepta hoc ordine digesta: Οὐ μοιχεύσεις· οὐ φονεύσεις· οὐ κλέψεις [1], quae in vulgatiori graeca versione sic iacent: Οὐ μοιχεύσεις· οὐ κλέψεις· οὐ φονεύσεις [2]. Utrum tamen levis illa variatio Sethianis debeatur, an lectioni scriptoris propriae, an demum huius arbitrio, definiri non potest. Priusquam enim ad certam methodum theologicae tractationes exigerentur, saepe usuveniebat ut aliter atque aliter sive praecepta sive sacramenta sive quae sunt alia, percenserentur. Ubi notandum est, apud Marcum ipsum evangelistam eodem ordine tria illa praecepta censeri, atque apud scriptorem *Philosophumenon*: Οὐ μοιχεύσεις· οὐ φονεύσεις. οὐ κλέψεις [3]. — Tertullianus ter ea praecepta refert alio prorsus ordine disposita, illo nimirum quo tum in hebraico textu tum in plerisque versionibus enumerantur: *Non occides*: *non adulterabis* (vel *non moechaberis*): *non furaberis* (vel *non fraudaveris*) [4]. Idem nihilominus alibi contendit, praeceptum non adulterandi post praeceptum honorandi parentes esse collocatum [5]. Quo in loco incertum est, utrum Tertullianus ordinem servatum ab auctore *Philosophumenon* an potius ordinem versionis alexandrinae tenuerit.

B. Septimus versiculus psalmi XXI apud auctorem *Philosophumenon* [6] ita refertur: Σκώληξ καὶ οὐκ ἄνθρωπος, ὄνειδος ἀνθρώπου καὶ ἐξουθένημα λαοῦ. Quae scriptio reperitur in vetustissimo codice

1 *Philos.* - *V*, 20.
2 *Exod.* - *XX*, 13-15.
3 Marc. - *X*, 19.
4 Tertull. - *Cont. Iud. II*; *Cont. Marc. II*, 17; *IV*, 16.
5 Idem, - *De pud. V*.
6 *Philos.* - *V*, 8 *pag.* 110.

alexandrino atque ex hebraico textu expressa est. Reliqua exemplaria graecae interpretationis, aeque ac latina interpretatio, loco ἀνθρώπου, *hominis*, habent plurali numero ἀνθρώπων, *hominum*. — Auctoris lectionem constanter sequitur Tertullianus ac praeter eum Cyprianus, Eusebius caesariensis, Theodoretus [1].

C. Vaticinium Isaiae XL, 7, 8 sic legitur in hoc opere [2]: Ἐξηράνθη ὁ χόρτος, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε · τὸ δὲ ῥῆμα Κυρίου μένει εἰς τὸν αἰῶνα. In versione alexandrina loco Κυρίου legitur τοῦ θεοῦ ἡμῶν: quae communis est lectio textus hebraici, vulgatae versionis latinae, item arabicae ac syriacae, nec non paraphraseos chaldaicae. — Auctoris lectionem sequi videtur alicubi Tertullianus hunc spectans locum his verbis: *Sermo autem Deus: et sermo Domini manet in aevum* [3]. Sed idem alibi diserte appellans Isaiam scribit: *Verbum enim, inquit Esaias, Dei nostri manet in aevum* [4]. Ceterum quum heic agatur de vocabulis, quae facillime permutantur, non est cur eam variationem e singulari auctoris ac Tertulliani lectione repetamus: praesertim quod ea scribendi ratio pluribus patribus regione ac lingua diversis communis fuerit [5].

D. Iohannis baptistae denunciatio, quae, apud Matthaeum et Lucam [6] legitur, his verbis ab auctore allegatur [7]: Ἐγγὺς... ἡ ἀξίνη παρὰ τὰς ῥίζας τοῦ δένδρου ... Quo loco vulgati evangeliorum codices habent πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων eisque congruit vulgata interpretatio latina. — Quoad vocabulum τοῦ δένδρου cum auctore consentit vetus codex ms. apud Velesium, itemque graecum exemplar a Pagnino versum, interpretatio aethiopica et Syriaca, Rufinus, Chrysostomus, Auctor *Operis imperfecti in Matthaeum*, et

1 Tertull. - *Adv. Iud. XIV*; *Cont. Marc. III*, 7, 17; *IV*, 21; Cypr. - *Testim. II*, 13; Eus. - *Comm. in h. l.*; Theodoret. - *Comm. in h. l.*

2 *Philos.* - *VI*, 10 *pag.* 164.

3 Tertull. - *Adv. Prax. XXVII*.

4 Idem. - *Cont. Marc. IV*, 33.

5 Cypr. - *De hab. virg.*; *Testim. III*, 58; Eus. caes. - *Comm. in ps. LIX*, 3; Basil. - *Ep. CCXX ed. maur.*; Paulin. - *Ep. XXV*; Ambr. - *Her III*; Aug. - *In ps. I et LXXXIX, alibi*; Vig. taps. - *Cont. Varim*

6 Matth. - *III*, 10; Luc. - *III*, 9.

7 *Philos.* - *VI*, 16 *pag.* 171.

Scriptor *De laude martyrii* aiens: *Iam securis ad radicem arboris posita est* [1]. Vicissim quoad vocem τὰς ῥίζας cum auctore concordat codex Eusebii vercellensis, itemque quatuor apud Sabatierum codices, nec non arabica interpretatio, Hilarius, Ambrosius [2]. Tertullianus hunc spectans locum ipsam auctoris lectionem sequi videtur ubi christianum hominem his alloquitur verbis: *Tui ordines et tui magistratus et ipsum curiae nomen ecclesia est Christi. Illius es conscriptus in libris vitae. Illic purpurae tuae sanguis Domini, et clavus latus in cruce ipsius. Illic securis ad caudices* (al. *caudicem*) *arboris posita. Illic virga ex radice Iesse* [3]. Sed nescio an potius ex praescripto contextus, quam ad normam graeci exemplaris ea verba attulerit, quemadmodum scripsit *libros vitae,* quamquam Scriptura constanter *librum vitae* commemoret, ac pro radicibus caudices appellavit. Cum lectione auctoris plane consentit Origenes (Hieronymo interprete) scribens: *Ecce securis ad radices arboris posita est* [4].

E. Verba Ioh. I, 13 quibus renati homines exhibentur ut qui Οὐκ ἐξ αἱμάτων οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς ... ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν, ab auctore in hunc modum leguntur tamquam scripta de Christo Ὃς οὐκ ἐξ αἱμάτων οὐδὲ ἐξ ἐπιθυμίας σαρκικῆς (vel σαρκὸς)... ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθη. Hac enim antithesi perstringit ipse Simonem samaritem qui se Christum esse iactabat: *Simo non erat Christus.., sed homo erat ... e sanguinibus atque e cupiditate carnis, quemadmodum et reliqui, generatus* [5]. Quod evidenter ad eam lectionis varietatem refertur. Iam vero exploratum est, eadem Iohannis verba de Christo accipi a Tertulliano qui proinde simili ratione Valentinianos mordet, tanquam si germanam lectionem ad spiritales Valentini

1 Rufin. - *In vers. Orig. Lib. III in Cant. et Hom. XXII in lib. Ies. Nav.* § 5; Chrys. - *Ap.* Nicet. *Cat. pp. in Matth.; Interpres aethiops Luc. III,* 9.

2 Hilar. - *In Matth. III;* Ambros. - *In Luc. L. II.*

3 Tertull. - *De corona XIII.*

4 Orig. - *Hom. XXIII in Luc.*

5 Χριστὸς οὐκ ἦν Σίμων . . . ἀλλ' ἄνθρωπος ἦν . . ἐξ αἱμάτων καὶ ἐπιθυμίας σαρκικῆς, καθάπερ καὶ οἱ λοιποί, γεγεννημένος. *Philos.* - *VI,* 9 *pag.* 62.

homines significandos ipsi detorsissent [1]. Qua in lectione Septimio praeiverunt Iustinus atque Irenaeus; eundemque secuti sunt alii plures, ut Pseudathanasius, Ambrosius, Augustinus, Sulpicius Severus [2]. Differt nihilominus a lectione auctoris lectio Tertulliani. Hic enim legit ἐξ αἵματος *ex sanguine,* ut legit uterque syrus interpres [3], Pamphilus m., Hilarius, Vigilius tapsensis, alii. Ille vero legit ἐξ αἱμάτων *ex sanguinibus,* ut fert vulgatissima scriptio, quae illo multitudinis numero permixtionem sanguinum significantius effert.

F. Christi pronunciatum, quod Iohannes retulit c. III, v. 5 sic prostat apud auctorem [4]: Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐκ εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Ubi vulgati Bibliorum codices habent: Οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. — Tertullianus nuspiam cum auctore omnino concordat, etsi quadamtenus cum eo conveniat. Vel enim ἀναγεννηθῇ reddit pro γεννηθῇ, ut est in aliquibus evangeliorum codicibus et apud aliquot patres; vel uti fert communis lectio, τοῦ θεοῦ, loco τῶν οὐρανῶν legit.

G. Precatio Pauli ad Eph. III, 14-18 in hunc modum ab auctore refertur [5].... Ἵνα δώῃ ὑμῖν ὁ θεὸς κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον ... Quam interpunctionem a vulgata discrepantem quum graeca quaedam exemplaria, tum interpretatio arabica et syriaca et aethiopica praeferunt. — E scriptoribus ecclesiasticis eamdem amplexi sunt Tertullianus, Pseudoiustinus, Didymus alexandrinus, Hilarius (vulgo Ambrosiaster), Pseudobasilius, Chrysostomus, quique hunc sequitur Theophylactus, Pseudieronymus, Augustinus, Theodoretus, Victorinus [6], alii.

1 Tert. - *De carne Chr. XIX, XXIV.*

2 Pseudath. - *Ad Theophil.*; Ambr. - *In ps. XXXVII*; Aug. - *Confess VII*, 9; Sulp. Sev. - *H. S. L. II.*; all.

3 Pesch. et Philoxen.

4 *Philos. - VIII,* 10 *pag.* 267.

5 *Philos. - VI,* 34 *pag.* 193.

6 Tertull. - *De res. carn. XL*; Pseudoiust. - *Expos. fid.* § 5; Didym. - *De Trin. II*, 7 § 7. *De Sp. s.* § 24; Pseudobas. - *De bapt. I*, 2 § 21; Chrys. -

Ut haec in summam colligamus, tria statui posse videntur. I. — In hac haereseon confutatione nullam esse biblicae lectionis varietatem quae priva sit uniusque Tertulliani propria. II. — Quinque scribendi rationes A, C, D, E, F eiusmodi esse, ut de earum sive consensione sive discrepantia respectu Tertulliani vix quidquam decerni possit. III. — Binas D, G cum Septimii lectione ita congruere ut earum prior in textu hebraico, in codice alexandrino, apud ecclesiasticos aliquot scriptores reperiatur; posterior vero tum graecis aliquot exemplaribus tum plurimis patribus communis fuerit. — Unde patet, in hac haereseon refutatione latinisque Tertulliani operibus non eam esse biblicarum lectionum concordiam, quae inchoatam aliis argumentis probationem absolvat. Sed quo res planior fiat, subiiciam heic alia quaedam Scripturarum loca quae paulo secus ab auctore huius operis, quam a Tertulliano, referuntur.

A. Incisum e Geneseos I, 2 apud auctorem [1] semel atque iterum hoc modo exhibetur: Καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος: iuxta vulgatam scriptionem alexandrinae interpretationis, quacum consentit samaritanus interpres, atque e scriptoribus ecclesiasticis Nemesianus tubunensis, Auctor quaestionum vet. et nov. testamenti, Philastrius, Hilarius [2]. — Tertullianus, ut reliqui generatim codices habent, hunc locum quater exprimit, aliter ac scriptor *Philosophumenon*, constanter scribens *Super aquas*.

B. Quod legitur Geneseos II, 7 de humani corporis effectione, ita describitur ab auctore *Philosophumenon* [3]: Καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς λαβών: adiecto nimirum verbo λαβών, quod expressum legitur in graecis aliquot Geneseos exemplari-

Hom. VII in ep. ad Eph.; Theophyl. - *Comm. in h. l.*; Pseudieron. - *Comm. in h. l.*; Ambrosiast. - *Comm. in h. l.*; Aug. - *In ps. CIII*; Theodoret. - *Adv. XII capit. Anath. III.*; Victorin. - *Comm. in h. l. ap.* Mai, - *Coll. vat. T. VIII.*

1 *Philos. - VI*, 14, 17 *pagg.* 167, 171.

2 Nemes. - *In conc. III carth. sub Cypr.*; Auctor *Qq. n. et. v. Testam. q. CVI*; Philastr. - *De haeresibus*; Hil. - *In ps. CXXIII.*

3 *Philos. - VI*, 14, 34 *pagg.* 167, 193.

bus 1 itemque apud multos ecclesiae scriptores 2; tametsi absit a textu hebraico atque hebraeosamaritano, a plerisque interpretationibus (LXX vir., Symmachi, Theodotionis, vulgata latina, samaritana, syriaca, arabica), atque a pharaphrasi chaldaica. — Tertullianus 3 ter eumdem exscribit locum, quin tamen uspiam efferat *sumendi* vorbum: etsi forte inclusum censeri possit in illa locutione: *Limum de terra:* quam ipse adhibuit.

C. Christi monitum de occultatione mysteriorum 4 paulo secus, quam in evangelio iaceat, his vocibus ab auctore 5 proponitur: Μὴ βάλητε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ τοὺς μαργαρίτας τοῖς χοίροις. — Discrepat ab auctore Septimius 6 eadem verba e graeco sic vertens: *Nolite dare sanctum canibus, et porcis proiicere margaritas vestras.*

D. Verba Servatoris, plane ut vulgo leguntur apud Matth. XI, 15 et XIII, 9, 43, semel atque iterum sic recurrunt apud auctorem 7: Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. — Variant ea nonnihil in vetustissimo codice vaticano, in veteri exemplari corbeiensi quod Sabatierus affert, itemque apud Tertullianum 8 semel atque iterum ita scribentem: *Qui habet aures, audiat.*

E. Testimonium Iohannis de Verbo luce hominum sic legitur apud auctorem ex fide graeci codicis: Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. A qua scriptione neque interpretationes evangeliorum neque graeci latinique patres discedunt. Unus est Tertullianus qui leviter ab ea discrepat scribens 9: *Lux vera quae illuminat hominem venientem in hunc mundum.*

1 Patr. Iun. - *Adnot. in Ms. alex.*

2 Iustin. - *Cohort. ad gent. XXX;* Iren. - *Adv. haer. IV, 20;* Rufin. - *Expos. symb.*; all.

3 Tertull. - *Adv. Hermog. XXXI; De res. carn. V; Adv. Marc. I, 24.*

4 Matth. - *VII, 6.*

5 *Philos.* - *V, 8 pag. 114.*

6 Tertull. - *Ad uxor. II, 5; De bapt. XVIII.*

7 *Philos.* - *VIII, 9, 10 pagg. 264, 266.*

8 Tertull. - *Adv. Marc. IV, 19.*

9 Idem, - *Adv. Prax. XII.*

Rursum igitur nequaquam tanta est utriusque scriptoris convenientia in referendis Scripturarum testimoniis, quanta sive ad affirmantis sive ad confirmantis indicii rationem postulatur. De Tertulliano enim agitur, qui Scripturas e graeco vertere consuevit: uti apparet vel ex illa vocabulorum novitate, qua verbo verbum reddere studet [1].

Nolim tamen, inde quisquam inferret, notatam lectionum varietatem Tertulliano prorsus repugnare. Hanc enim conclusionem neque Tertulliani neque auctoris ratio patitur. Quorum prior nonnunquam sententias magis quam verba Scripturarum refert; aliquando Aquilae vel Theodotionis interpretationem [2], communi posthabita, sectatur; quandoque in iisdem testimoniis plus semel relatis variat [3]. Alter vero pleraque omnia Scripturarum loca ex haereticis expressa refert. Nam testimonia quae superius notavimus, *A*, *B*, C, D allegantur a Simone samarito; B, *C* a Naassenis; *D*, F a Docetis; G a Valentino, *E* a Basilide, A a Sethianis. Quapropter facile fieri potuit ut eo modo illa testimonia auctor exscriberet, quo in haereticorum operibus legebantur.

CAPUT XXV.

Scriptor Philosophumenon *censeri non debet inter eos quorum forte nomina a veteribus ad nos transmissa non sunt.*

Qualiscumque fuerit absolutae modo contentionis exitus, equidem non arbitror, me operam perdidisse quam in discrimine vestigando Tertullianum inter atque huius operis auctorem colloca-

1 Exemplo sint interpretationes quas heic subiicio. Σπέρμιος, *Sementivus*; Ἐξουδένημα, *Nullificamen*; Καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, *Per supergressum in supergressum*; Παρείσακτος (in Tertulliani codice ὑπερείσακτος), *Superinductitius*; cetera his similia.

2 Tertull. - *Adv. Marc. III*, 22; *Adv. Iud. XI.*

3 Speciminis instar esse potest locus Ioh. III, 5, qui aliter a Tertulliano effertur *De bapt. XIII*, aliter *De anima XXXIX*; et locus Exod. *XX*, 13-15, collatis Tertulliani libris *De pud. V*; *Adv. Iud. II*; *Adv. Marc. IV*, 16.

vi. Nonnihil censeo promotum esse in huius tractatione quaestionis, etsi aliud nihil indo exstiterit quam ut in intima illa utriusque scriptoris cognatione alter ab altero secernendus esse videatur. Ne tamen heic gradum sisterem, potissimo veluit quod suadere mihi non potuerim, huius libri scriptorem inter eos esse percensendum, quos illaudatos vel indictos suppariorum litterae deseruerint. Itaque priusquam in disceptatione progredior, placet aperire caussas opinionis huius meae vel potius criticorum omnium qui de huius operis auctore disseruerunt. — Fieri ne igitur potuit, ut Eusebius, ut Hieronymus, ut veteres haereseographi aut historici consulto tacuerint de huiusmodi viro, quem ab editis operibus profecto nosse debuerant? At iidem nihilominus neque Tatiani nomen et scripta, neque Bardesanis, neque Tertulliani, neque Novatiani, neque aliorum insignium ecclesiae desertorum tegenda silentio censuerunt. Quos idcirco nominavi, quod aliquam cum nostro auctore cognationem praeferunt. Non enim hic eorum loco ac numero esse potest, quorum opera magis oblivione digna quam litteris habita sunt, sive quod christianam morum regulam plane perverterint sive quod praecipua christianae fidei capita penitus labefactarint. Quamquam ne illorum quidem nomina, si forte ad hominum memoriam et documentum insignia visa sunt, in ecclesiae annalibus desiderantur. Verum hic, cetera orthodoxus; uno articulo de peccatorum expiatione secernitur a catholicis. Geminum nempe agnoscit transmittendis dogmatis vehiculum, Scripturam ac traditionem: de praecipuis christianae professionis articulis sic fere loquitur, ut eius aevi doctores: seque ipsum licentiae osorem severissimum ostentat. Tantum abest quin inter despicatissimos sectarum institutores, eosdemque ethnicos magis quam christianos, censeri possit. Quid? quod eius nomen silentio premere orthodoxi scriptores vix poterant, etsi maxime voluissent? Non enim is in obscuro latuit; sed in ecclesiae romanae luce diu vixit, idemque non privatae cuiuscumque, at publicae personae partes, vel acquisita vel arrogata *summi sacerdotis* dignitate, obivit. Has vero partes non voce tantum, sed scriptis etiam exsecutus est, quae plane insignem sui temporis scriptorem

arguunt, siquidem e praestantia huius operis reliquae ipsius lucubrationes aestimandae sunt. Quare ipsa refutandi necessitas catholicis imposita, nedum eximia scriptoris claritas, non sinebat ut eius nomen sive ignoraretur a veteribus sive data opera occultaretur.

Locus hic esset quaerendi, utrum haec haereseon refutatio (uti suspicatus est Cruicius) haberi possit tanquam opus collectitium cuius protium ad alios plane scriptores pertineat quam ad hominem centonarium qui forte illud compegerit. Sed illud magna ex parte iam occupavimus, ubi de noni illius libri authentia disseruimus. Hac enim demonstrata vix aliquis superest ei suspicioni locus. Hoc praeterea occurrit animadvertendum, universi operis informationem ipsumque adeo multiplicis eruditionis delectum eiusmodi esse ut ingenii doctrinaeque non mediocris scriptorem poscat. Una enim eminet ubique sentiendi et cogitandi ratio, una eloquendi vis, unus plane scriptor qui haustas undequaque notitias atque in suum veluti sanguinem conversas ad finem sibi praestitutum peringeniose adhibuit. Nec vero admodum de illius laudibus detrahit quod ipse a vetustioribus multa decerpserit, sicubi parum familiarem viro ecclesiastico materiem tractat vel haeresiarcharum commenta refert. Alioquin ex illustrium scriptorum albo expugendi forent Theodoretus, Epiphanius, Eusebius, ipse adeo Tertullianus qui tam multis excerptionibus sua scripta locupletarunt. Quod sane in latino scriptore graeco loquente longe excusabilius est, eoque minus legentibus iniucundum accidit quo historica scriptoris fides eo nomine magis magisque commendatur. — Haud equidem abnuo, quaedam esse in hoc opere vel inconcinne tractata vel minus apposite scripta vel negligenter praetermissa, quae, sepositis etiam librarii mendis, ipsi operis auctori fortasse sunt imputanda. Sed quid inde consequens est? Nihil plane aliud (siquam inde coniecturam capere volumus) quam hanc haereseon refutationem fuisse posthumam auctoris prolem cui secundae aut ultimae parentis curae nequaquam accesserint. Quod si verum est, eo fortasse planius intelligetur cur opus ceteroqui materia, eruditione, vetustate insigne ad manus veterum quorumdam venerit in

frusta concisum nullosque forte laudatores aut vituperatores nactum fuerit. Ceterum siquis ad auctoris gesta, dignitatem, domicilium, editas lucubrationes animum adverterit, is profecto illum obscuris eius aevi scriptoribus nullo pacto accensebit.

CAPUT XXVI.

Nihil est quod evincat, auctorem huius operis inde iam a Callisti pontificatu sive episcopum sive schismaticae sectae magistrum fuisse.

Quaerenti mihi undenam factum esset, ut praeter scriptorum nomina superius recensita nullum aliud in controversiam vocaretur, visum est idcirco id contigisse quod pleriquo existimaverint auctorem huius operis indo saltem a Callisti pontificatu sacrorum antistitem fuisso. Hac enim opinione praecepta, scriptores omnes paulo recentiores necessario erant seponendi. Quum itaque successus praeteritae disceptationis aliam tentari viam propemodum iuberet, visum est, heic sedulo inquirere num anticipata illa criticorum sententia cum auctoris vita et gestis, quae hoc in opere attinguntur, plano cohaereat. Quod si huius indaginis exitus ab ea sententia discrepaverit, summoto illo quasi obice, ambitus paulo latior ad explorandum patebit.

Duo sunt in hac lucubrationo loci, qui huiusmodi opinionom gignero potuerunt. Horum alter scriptoris aliorumque simul a Callisto dissidium refert; alter exercitam a scriptore episcopalom potestatem significat [1]. Sed neuter, meo iudicio, evincit, auctorem huius operis, Callisto pontifice, fuisse vel sacrorum antistitem vel coetus ab ecclesia dissidentis magistrum. Et sane locus prior his absolvitur verbis: *Quum puderet eum* (Callistum) *vera loqui, quod palam nobis conviciando dixerat:* Dithei estis . . . : *excogitavit haeresim huiusmodi* [2]. Quae quidem a ceteris divulsa rem pla-

1 *Philos.* - IX, 12 *pagg.* 289, 290.

2 Αἰδούμενος τἀληθῆ λέγειν, διὰ τὸ δημοσίᾳ ἡμῖν ὀνειδίζοντα εἰπεῖν· Δίθεοί ἐστε .. ἐφεῦρεν αἵρεσιν τοιάνδε κ. τ. λ. *Philos.* - *L. c.*

ne conficiunt: collato tamen contextu, hoc unum indicant, auctorem non tam doctrina quam formulis in refutando sabellismo discrepasse a Callisto eidemque socios aliquot fuisse, quos simul omnes romanus ille praesul pro concione reprehenderit. Idque eo vel magis quod nonnihil est detrahendum de illa veteris dissidii descriptione, quod schismaticus auctor, catholicorum successu indignatus, iam plus aequo exaggerat. Sed haec fortasse clariora fient, quum universum auctoris contextum dabimus atque expendemus. — Locus alter his vocibus continetur: *Callisti praescripto illecti multi..., quidam etiam post iudicialem sententiam eiecti a nobis ex ecclesia, accedentes ad ipsos* (catholicos) *scholam illius replevere* 1. Quae profecto auctorem schismaticorum praesulem fuisse significant; quo tamen tempore schismaticis ipse praefuerit, nequaquam definiunt. Quaeri itaque potest, utrum Callisto pontifice an deinceps transitiones illae factae fuerint de quibus auctor ibi conqueritur. — Mihi hanc relationem versanti nihil occurrit quod primum illud evincat. Quamquam enim ibi, ut in virulenta declamatione, historicum ordinem auctor non omnino sequatur, accurate tamen distinguit Callistum pontificem a Callisti schola, quae ipsa est ecclesia romana Callisti magisterio instituta eademque post Callisti decessum in custodia traditae doctrinae perseverans. — Et sane, commemorata Callisti doctrina de Patre ac Verbo, de romana ecclesia per Callistum administrata sic ille scribit: *Haec ausus deceptor ille, ita docendo erexit scholam contra ecclesiam, et primus excogitavit indulgere hominibus quae ad voluptates referuntur, dicens, omnibus ab ipso remitti peccata* 2. Tum de Callisti discipulis statim subdit: *Siquis enim alterius cuiuspiam conventiculo addictus idemque nomine saltem christianus quidquam peccet,* AIUNT, non *imputatur ipsi*

1 Οὗ (Καλλίστου) τῷ ὅρῳ ἀρεσκόμενοι πολλοί..., τινὲς δὲ καὶ ἐπὶ καταγνώσει ἔκβλητοι τῆς ἐκκλησίας ὑφ' ἡμῶν γενόμενοι, προσχωρήσαντες αὐτοῖς, ἐπλήθυναν τὸ διδασκαλεῖον αὐτοῦ. *Ibidem.*

2 Τοιαῦτα ὁ γόης τολμήσας, συνεστήσατο διδασκαλεῖον κατὰ τῆς ἐκκλησίας οὕτως διδάξας, καὶ πρῶτος τὰ πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῖς ἀνθρώποις συγχωρεῖν ἐπενόησε λέγων, πᾶσιν ὑπ' αὐτοῦ ἀφίεσθαι ἁμαρτίας. *Ibidem.*

peccatum, si confugerit ad scholam Callisti. Cuius praescripto illecti multi conscientia (malefactorum) *perculsi, simul quoque a a multis sectis proscripti, quidam etiam post iudicalem sententiam eiecti a nobis ex ecclesia, accedentes ad ipsos scholam illius repleverunt* [1]. Quod postremum sane post Callisti pontificatum evenire potuit. — Inde ad Callistum regreditur auctor, ut ostendat, quod initio proposuerat, malorum originem ex illo esse repetendam. *Hic decrevit, episcopum deponi non oportere, siquid is peccaverit, quamquam letaliter. Sub ipso coeperunt episcopi et presbyteri et diaconi bigami ac trigami referri in cleros* [2], cet. — Hinc rursum ad Callisti discipulos redit scribens: *Cuius auditores in eius dogmatis scienter perseverant illudentes sibi et multis, quorum ad scholam confluunt turbae. Proinde multiplicantur, gloriantes de turbis, propter voluptates quas non concessit Christus. Quo despecto, neminem peccare prohibent, affirmantes* (se) *dimittere bene erga ipsum* (Christum) *affectis* [3], cet. — Denique, aliis Callisti decretis ad invidiam commemoratis, ita concludit: *Haec igitur constituit ille supra modum mirabilis Callistus, cuius mores ac traditionem schola eius custodire pergit, non diiudicans quibuscum oporteat communicare, omnibus indiscriminatim offerens communionem. A quo etiam nominis participarunt appellationem ut nuncupentur a primo talium operum institutore Calli-*

1 Ὁ γὰρ παρ' ἑτέρῳ τινὶ συναγόμενος καὶ λεγόμενος χριστιανὸς εἴ τι ἂν ἁμάρτῃ, ΦΑΣΙΝ, οὐ λογίζεται αὐτῷ ἡ ἁμαρτία, εἰ προσδράμοι τῇ τοῦ Καλλίστου σχολῇ· οὗ τῷ ὅρῳ ἀρεσκόμενοι πολλοὶ συνείδησιν πεπληγότες, ἅμα τε καὶ ὑπὸ πολλῶν αἱρέσεων ἀποβληθέντες, τινὲς δὲ καὶ ἐπὶ καταγνώσει ἔκβλητοι τῆς ἐκκλησίας ὑφ' ἡμῶν γενόμενοι, προσχωρήσαντες αὐτοῖς ἐπλήθυναν τὸ διδασκαλεῖον αὐτοῦ. *Ibidem.*

2 Οὗτος ἐδογμάτισεν ὅπως εἰ ἐπίσκοπος ἁμάρτοι τι, εἰ καὶ πρὸς θάνατον, μὴ δεῖν κατατίθεσθαι. Ἐπὶ τούτου ἤρξαντο ἐπίσκοποι καὶ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι δίγαμοι καὶ τρίγαμοι καθίστασθαι εἰς κλήρους κ. τ. λ. *Ibidem.*

3 Οὗ οἱ ἀκροαταὶ ἡσθέντες τοῖς δόγμασι διαμένουσιν ἐμπαίζοντες ἑαυτοῖς τε καὶ πολλοῖς, ὧν τῷ διδασκαλείῳ συῤῥέουσιν ὄχλοι. Διὸ καὶ πληθύνονται γαυριώμενοι ἐπὶ ὄχλοις διὰ τὰς ἡδονὰς, ἃς οὐ συνεχώρησεν ὁ Χριστός· οὗ καταφρονήσαντες οὐδὲν (*malim legere* οὐδέν' *i. e.* οὐδένα) ἁμαρτεῖν κωλύουσι, φάσκοντες αὐτῷ ἀφιέναι τοῖς εὐδοκοῦσι κ. τ. λ. *Ibid. pag.* 291.

sto Callistiani 1. Quo loco perspicere licet, quod toties tamque irrito conatu a priscis atque a recentioribus heterodoxis tentatum est, ut nempe catholici alio nomine quam nativo ac suo vocitarentur. Congruit autem cum fine operis molimen auctoris, tametsi opus post Callisti obitum fuerit exaratum. Propositum quippe illi est a suis initiis repetere mala omnia quibus obnoxiam esse romanam sui temporis ecclesiam contendit. Sed hoc omisso, animadvertatur loquendi ratio, quam auctor, agens de Callisto pontifice deque ipsius ecclesia, constanter sequitur. Etsi oratorio magis quam historico utatur genere, quo fit ut desultoria exstiterit illius narratio, nuspiam tamen ita permiscet Callisti aetatem cum aetate successorum ut significet, suos gregales ad Callistum semet recepisse. Igitur quae caussa cuipiam esse potuit secus opinandi, ea scriptoris huius testimonio minime confirmatur.

CAPUT XXVII.

Haec haereseon refutatio medio circiter seculo tertio absoluta videtur.

Quum scriptor huius refutationis tam multa sui vestigia impressa ibidem reliquerit, idemque inter viros ad memoriam temporum illustres floruerit, intentos plurium exploratorum oculos eludere vix potuit, nisi forte illi in eius aetate internoscenda plus minusve a veritate aberraverint. Hanc ego habui caussam, cur experirer, utrum e diligentiori aetatis inquisitione lucis aliquid universae huic vestigationi affundi posset, quo eiusdem fines accuratius constituerentur. Quod ut praestarem, recentiores aeque ac vetustiores auctoris aequales, qui hoc in opere commemoran-

1 Ταῦτα μὲν οὖν ὁ θαυμασιώτατος Κάλλιστος συνεστήσατο, οὗ διαμένει τὸ διδασκαλεῖον φυλάσσον τὰ ἔθη καὶ τὴν παράδοσιν, μὴ διακρῖνον τίσι δεῖ κοινωνεῖν, πᾶσιν ἀκρίτως προσφέρον τὴν κοινωνίαν· ἀφ' οὗ καὶ τὴν τοῦ ὀνόματος μετέσχον ἐπίκλησιν καλεῖσθαι διὰ τὸν πρωτοστατήσαντα τῶν τοιούτων ἔργων Κάλλιστον Καλλιστιανοί. *Ibidem pag*. 291, 292.

tur, sedulo notandos atque ad veterum memorias exigendos suscepi.

Iam vero, ut a recentioribus ordiar, haereticorum novissimus in hac refutatione censetur Alcibiades, *vir vafer atque arrogantiae plenus*, qui ex urbe Syriae Apamea, per Aegyptum forte transiens, Romam venit Elchasaitarum dogmata propugnans quum iam *Callisti* pontificis *doctrina per universum orbem diffusa personaret* [1]. Itaque operae-pretium est, de illo Alcibiadis adventu paulo cognoscere accuratius, ut propria operis aetas recte definiatur. — Qui hunc haereticum suo nomine appellet, praeter scriptorem *Philosophumenon*, inter veteres unum reperi Theodoretum, qui diu prope Apameam vixerat ac deinde Cyrrhestarum in Syria praesul fuit. Is autem ita meminit Alcibiadis, ut eum Origeni coaevum existimasse videatur. Scribit enim in hunc modum: *Adversus hanc haeresim* (Elchasaitarum) *vere scripsit Origenes: eam vero Alcibiades ab urbe Syriae Apamea profectus propugnavit* [2]. Ubi praetermittenda non est illa Theodoreti asseveratio, quae indicat, per id temporis dubitatum esse ab aliquibus, num Origenes eam haeresim scripto refutasset. Cuius dubitationis caussa esse potuit eadem illa opinionum pugna quae disceptantes de auctore *Philosophumenon* eruditos tum dividebat atque etiam nunc dividit. Alii quippe illud opus Origeni, aliis fortasse alii adiudicabant inter quos putaverim fuisse Theodoretum. Non enim hic fragmento illo huius refutationis innixus, sed vel ipsa Origenis homilia contra elchasaitam Alcibiadem, vel caesariensis Eusebii testimonio quamcumque ambigendi rationem sustulisse censendus est. — Ceterum quum litterarius Origenis cursus apprime fuerit diuturnus, Origenis ipsius atque Eusebii testimonium cum illo Theodoreti loco est conferendum, ut Alcibiadis aetas minus universe cognoscatur. — Origenis haec sunt verba: *Venit aliquis de se ipse alte sentiens, ut qui valeat ad venerationem conciliandam sententiae supra modum impiae, quae dicitur Helcesaitarum quae-*

1 *Philos.* - *IX*, 13 *coll.* 17, *pagg.* 292, 296.
2 THEODORET. - *Haer fabb. II*, 7.

que modo coepit insurgere adversus ecclesias 1. Quae profecto de Alcibiade, deque instaurata per eundem haeresi sunt intelligenda, minime vero de prima haereseos institutione quae diu ante Origenem, Traiano adhuc imperante, facta est 2. Quare superest, ut videamus, intra quod spatium illam haeresim collocet Eusebius qui hoc Origenis testimonium posteritati servavit. Non enim parvi faciendae sunt temporum notae, quae ab accurato chronographo litteris consignantur, nisi cum ipsa rerum gestarum serie vel praepollenti aliorum testimonio pugnent. Praesertim vero quum de insigni agatur chronologiae cultore, qui a confingendo vel coniectando tam alienus est, ut non pauca prudens praetermittat, et candide fateatur, se nescire quae ignorat 3. Quod si redintegrata per Alcibiadem haeresis, quae simul orta simulque propemodum extincta est, non admodum fuit ad annalium memoriam insignis, eadem tamen notatu dignissima Eusebio videri debuit, quod cum Origenis vita gestisque nexa est. Nullus enim alius in origenianis rebus persequendis vicit Eusebium, qui paucis post Origenem annis natus ac Caesareae sedens de illo plurima ex eius auditoribus et nominatim ex martyre Pamphilo rescivit. Quibus etiam sepositis, patebant Eusebio vulgatae Origenis homiliae unde dignosceret quo primum tempore illa haeresis coorta esset. Notum quippe illi erat, quoto anno conciones origenianae scripto excipi

1 Ἐλήλυθέ τις ἐπὶ τοῦ παρόντος μέγα φρονῶν ἐπὶ τῷ δύνασθαι πρεσβεύειν γνώμης ἀθέου καὶ ἀσεβεστάτης, καλουμένης Ἑλκεσαϊτῶν, νεωστὶ ἐπανισταμένης ταῖς ἐκκλησίαις. Orig. - Ap. Eus. - *H. E. VI*, 38.

2 Nemo ante Epiphanium de prisca illa haeresi mentionem fecit; etsi non defuerint, qui redintegratae eiusdem sectae meminerint, nimirum Auctor *Philosophumenon*, Origenes, Methodius (*Convic. Or. VIII*). Cuius praetermissionis ratio facile colligitur ex ipsa Epiphanii relatione (*Haerr. XIX, XXX, LIII*). Inde enim discimus, veterem illum sycophantam nomine Elchasai, genere ac secta iudaeum, commenta sua cum sectis iudaeochristianis dumtaxat communicasse. Quum itaque ante Alcibiadem illa haeresis ecclesias minime turbasset, haereseographi Alcibiade vetustiores eam inter sectas Ecclesiae infensas nequaquam censuerunt.

3 Eus. - *H. E. IV*, 5; *V*, 27; *Chron. (armeniace) ad an. Abr.* 2200.

a notariis coeperant [1]. Iam vero Eusebius restitutam ab Alcibiade sectam inter annos tertii seculi quadragesimum sextum et quadragesimum nonum citra haesitationem collocat [2]. Nisi igitur graviora veterum testimonia eam chronotaxin emendari iubeant, non imprudenter arbitrabimur, intra illud triennium vel quadriennium Elchasaitarum haeresim ab Alcidiade propugnatam fuisse. Sed priusquam in hac opinione consistamus, ratio nobis habenda est vetustiorum auctoris aequalium qui hoc in opere nominantur.

Istiusmodi aequalium primus obiicitur Prepo haereticus, qui e schola Marcionis prodiit atque in armenium Bardesanem scripsit. — *Quum nostris hisce temporibus* (inquit auctor) *assyrius quidam nomine Prepo inanius aliquid aggressus fuerit, scripto in Bardesianem armenium edito, ut de sua haeresi verba faceret, ne illud quidem reticebo* [3]. — At neque ex hoc auctoris loco, neque ex haereticorum catalogo qui opusculo *De praescriptionibus* adsutus est, neque ex Theodoreti relatione quidquam extundi potest de Prepontis aetate. E silentio Rhodonis, qui ab anno christiano CLXXX ad CCXI floruit [4] ac Marcionitas oppugnavit, eoque magis e silentio Tertulliani, qui primum librum contra Marcionem anno CCVII exaravit, id unum coniicere licet, recentiorem fuisse Prepontem Bardesane qui alterius seculi annum circiter octogesimum decessit [5]. Nam Rhodonis aeque ac Tertulliani consilium flagitare Prepontis mentionem videbatur, si forte Prepo ante annum Bardesanis emortualem scripsisset. Rhodoni quippe

1 Eus. - *H.-E. VI*, 36 *coll.* 35.

2 Idem, - *Ibidem c.* 38.

3 Ἐπεὶ δὲ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις νῦν καινότερόν τι ἐπεχείρησε . . . . . . Πρέπων ἀσσύριος πρὸς Βαρδησιάνην τὸν ἀρμένιον ἐγγράφως, ποιήσασθαι λόγους περὶ τῆς αἱρέσεως, οὐδὲ τοῦτο σιωπήσομαι. *Philos.* - *VII*, 31 *pag.* 253. Absoluto fere hoc meo commentario, mihi licuit inspicere parisiensem *Philosophumenon* editionem, quam Cruicius (nunc Massiliensium episcopus) latina versione auctam longeque oxoniensi emendatiorem dedit. Vitiatum hunc de Proponte locum feliciter Cruicius ita restituit: Μαρκιωνιστής τις Πρέπων, ubi codex habet: Μαρκίων νῆστίς τις Πρέπων.

4 Hier. - *De scriptt. eccles. XXXVII.*

5 Theodoret. - *Haerr. fabb. I*, 22.

propositum erat Marcionitas refutare, patefactis eorum dissidiis: Tertullianus autem contendebat, plures quam duos deos ex praestitutis a Marcione principiis esse agnoscendos. Atqui Prepo aeque, ac Potitus et Basilicus et Synero a Rhodone commemorati, novam Marcionitarum sectam instituere aggressus est, idemque plura quam duo suprema rerum principia esse agnoscenda contendit. Coniicere igitur licet, Prepontis haeresim, vulgatis iam Rhodonis ac Tertulliani scriptis prodiisse. Unde apparet, primo nullam esse caussam cur auctoris verba de scriptis *ad Bardesanem* litteris, non autem de libris *contra Bardesanem* editis intelligantur, etsi graeca illa locutio πρὸς Βαρδησιάνην ad utramque significationem pateat; deinde nihil ex Prepontis aetate inferri posse quod adsertae superius chronotaxi repugnet. Praesertim quod illa temporis notatio ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις νῦν paulo latiorem interpretationem patiatur, quam ut Prepontem auctoris aequalem significet. Certe caesariensis Eusebius de Dionysio alexandrino, cui suppar erat, simili plane locutione usus scripsit: Διονύσιος ... τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν παροικίας ΚΑΘ' ΗΜΑΣ τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχώς [1] κ. τ. λ. Sed placet heic ex alio scriptoris loco planum facere, quam caute intelligenda sint auctoris verba, ne forte in eius excipiendis relationibus decipiamur. Ita fiet, ut plurium locorum, quae obiectari possent, examen, compendio temporis aliquo, nullo veritatis dispendio praetermittamus.

De Marco haeretico ac praestigiatore perinde loquitur auctor quasi etiamtum superstes esset ac seducere homines pergeret. Ubi enim ipse marcianam haeresim a se difflatam commemorat: *Veterator quidem ille* (inquit) *tunc multos latuit; sed nunc refutatus cessabit* [2]. Ex Irenaeo tamen patet, haeresiarcham illum altero iam Ecclesiae seculo suum cursum absolvisse [3]. Quare illa auctoris locutio nequaquam presse intelligi, sed, ut aliae generis

1 Eus. - *H. E. III*, 28, coll. *V*, 28; *VII*, 32.

2 Ὁ δὲ πανοῦργος τότε μὲν πολλοὺς ἔλαθε, νυνὶ δὲ ἐλεγχόμενος παύσεται. *Philos.* - *VI*, 39 *p.* 200.

3 Iren. - *Adv. haer. I*, 13. 16, 18, 20.

eiusdem, paulo latius accipi debet, de marciana nimirum disciplina atque doctrina quae in Marci sectatoribus adhuc vigebat.

Planiora sunt ac certiora scriptoris verba de Zephyrino et Callisto romanis pontificibus quos coaevos sibi fuisse citra quamvis ambiguitatem ipse significat. *Callisti vitam* (inquit ille), *quippe olim nobis coaevam, evulgari palam expetendum videtur, eo consilio, ut retecto talis hominis instituto fortassis vel inde statim appareat intelligentibus qualem hic haeresim moliendam curaverit* [1]. Quae si conferantur cum subiecta narratione, id planum fiet, eatenus auctorem Callisto coaevum fuisse ut postremis saltem Zephyrini annis vir plenae maturitatis exsisteret. Namque et cum Sabellio iam tum agebat, ut illum revocaret ad veritatem, et in ea re procuranda a Callisto archidiacono dissentiebat. Quamobrem, si tunc auctor presbyter erat vel utcumque inter clericos censebatur, fuisset idem paulo minor aut maior sexagenario, quando Alcibiades Romam venit. Quae hypothesis quum sibi satis constet ac relationis contextui plane sit consentanea, nequaquam opus est ut ab eusebiana chronotaxi quoad Alcibiadis egressum discedamus. Censero igitur licet, obscurae illius sectae instaurationem non ante annum tertii seculi sextum et quadragesimum ab Alcibiade susceptam fuisse.

At enim auctor de postrema hac haeresi tanquam praeterita loquitur, quum dicat, *se non permisisse, ut diu multi aberrarent, evincendo, id esse nothi spiritus opus atque inflati cordis cogitatum*, quumque illius haeretici commenta non alio consilio exponat, quam *ut, siquis incurrerit in eiusdem scripta, probe noverit quaenam ab illo et qualis haeresis audacter inducta fuerit*. Post triennium igitur ab Eusebio notatum, medio circiter seculo tertio, haec haereseon refutatio absoluta videtur.

1 Τούτου τὸν βίον δοκεῖ ἡμῖν ἀγαπητὸν ἐκθέσθαι, ἐπεὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἡμῖν ἐγεγόνει, ὅπως διὰ τοῦ φανῆναι τοῦ τοιούτου τὴν ἀναστροφὴν, εὐεπίγνωστος καὶ ταχεῖα (ταχ' ἂν?) τοῖς νοῦν ἔχουσιν εὐθὺς γένηται ἡ διὰ τούτου ἐπικεχειρημένη αἵρεσις. *Philos* - *IX*, 11 *pag* 285

CAPUT XXVIII.

Praecipua scriptoris lineamenta quae investigationis ambitum circumscribunt ac Novatianum huius operis auctorem obiiciunt.

Interest iam singula scriptoris huius lineamenta in unam veluti figuram componere, quo demum praestito solum scriptoris nomen enunciandum supererit quod in auctoris personam quadret.

Scriptoris eruditio, quae in primis legentium oculos percellit, hominem praefert qui non in theologia solum sed et in haereseologia tractanda, non in philosophia tantum excolenda verum etiam in reconditioribus artibus curioso explorandis magnam vitae partem insumpsit. Eius institutio atque indoles quam simillima fuit ingenio ac moribus Tertulliani. Si enim pauca illa excipias, quae suis notata sunt locis, non theoretica modo ipsius placita, sed practica quoque ad opiniones Tertulliani proximo accedunt. In universa operis ratione ac partitione mens eminet perspicuitatis atque ordinis amica, tametsi in singulis articulis (quod ex copia eruditionis oriri potuit) ordo identidem non servetur. Domicilium habuit auctor vel in ipsa Urbe vel Urbi proximum inde saltem a postremis Zephyrini annis ac deinceps usque ad Fabiani pontificatum, sub quo Alcibiades Elchasaitarum restitutor Romam venit. Priusquam hanc haereseon confutationem scriberet, plures alios ipse libros ediderat, inter quos libellum adversus omnes haereses diu antea vulgatum, atque inscriptum *De mundi essentia* volumen. Utrum tamen tum catholicus esset an secus, quum ea scripsit, id e posteriori hoc libro, quem nunc expendimus, intelligi nequit. Certe quidem, dum scribendae huic haereseon confutationi navabat operam, non modo acatholicus erat, sed coetui praeerat acatholico qui eum uti maximum sacrorum antistitem suspiciebat. Fuerat nihilominus antea professione orthodoxus, vel certe nulli e sectis celebrioribus addictus: has quippe omnes ex aequo reprehendit, quin suum ab aliqua discessum usplam excu-

set. Quonam tempore hanc refutationem composuerit, superiori capite indicavimus. Heic notanda supersunt temporis adiuncta in quibus ipse tunc versabatur. Conqueritur nimirum auctor de maxima omnium fidelium adversus ipsum commotione, cuius prima semina, si eum audiamus, Callistus pontifex iecerat. In ea vero perturbatione quum de distinctione divinarum hypostaseon a Sabellio sublata, tum de doctrina et disciplina christianae poenitentiae concertabatur. Inter haec porro auctoris partes fuerunt, quos potuit omnes a catholica ecclesia abalienare tum aliis nominibus, tum praecipue quod ipsa doceret, nullas esse noxas per ecclesiam inexpiabiles.

His animadversis, eo (ni fallor) deducta res est ut excludente ratiocinatione coniici possit, quisnam fuerit auctor huius refutationis. Quamdiu nempe obices non tollantur, qui impediunt quominus Tertullianus huiusce scripti auctor habeatur, non alius (meo iudicio) potest offerri huius libri scriptor quam qui medio seculo tertio Petri cathedram invasit sectaeque schismaticae signifer exstitit Novatianus. Namque post annum CCXLIX non alio quam novatianensi dissidio universa, qua late patebat, ecclesia turbata est; neque inter claros eius temporis scriptores quisquam alius, excepto Novatiano, summi sacerdotis dignitatem sibi contra Ecclesiam arrogavit. Qua in perturbatione quum de venia poenitentibus impertienda certe cum Novatiano dimicatum fuerit, id unum heic superest monendum, eam renascenti sabellismo coaevam fuisse, ac Novatianum inter eos eminuisse sabelliani dogmatis adversarios qui plus aequo huic haeresi obsistentes in contrarium errorem propemodum delapsi sunt. De Novatiani sententia inferius sermo redibit, ubi scriptoris doctrinam de divina Trinitate cum Novatiani doctrina comparabimus. De sabellismi reviviscentis aetate satis est expendere litteras de baptismo haereticorum scriptas a Dionysio praesule alexandrino, ut intelligamus eam cum Novatiani pseudopontificis aetate congruisse. Eas quippe ad Xystum pontificem misit alexandrinus praesul anno CCLVI (quo Xystus electus est) ut novum pontificem de statu illius controversiae moneret, eique simul nunciaret, *excitatum nuper fuisse Ptole-*

maide Pentapoleos dogma sabellianum 1. At vero priusquam hae litterae scriberentur, utriusque partis episcopi de sabellismo disceptantes ad Dionysium scripserant; tum eum convenerant deque ea re coram disputarant; denique ipse Dionysius commentarios de eadem controversia vulgaverat. Initia igitur magni illius motus incurrerunt in recentem adhuc Novatiani rebellionem quae anno CCLI ortum habuit.

Equidem non dubito, fore aliquos quibus haec sententia de Novatiano *Philosophumenon* auctore paradoxi simillima videatur. Quos ego rogatos velim ut iudicium sustineant tantisper dum intercurrentes difficultates excutiuntur ac submoventur. Nam ea quae hactenus proposuimus, triplicis, ni fallor, sententiae dant optionem. Prima est, lucubrationem illam esse Tertulliano adscribendam; altera, illius operis auctorem frustra quaeri, quum potuerit is a veteribus esse praetermissus; tertia, non alium esse illius libri scriptorem quam Novatianum. Ex his primam video generatim esse reiectam; alteram nescio an aliquis post attentam illius operis lectionem sit amplexurus. Quamdiu igitur indicia omni exceptione maiora scriptorem eius libri non prodant ipsum Tertullianum, superest ut quae postremam sententiam circumstare videntur difficultates accurate perpendantur, atque ita demum statuatur utrum illius refutationis auctor existimari possit ac debeat Novatianus.

CAPUT XXIX.

Usurpata a Novatiano dignitas cum auctoris animo erga Cornelii decessores, atque antecedens vita Novatiani cum auctoris vita conciliatur.

Quae prima occurrit difficultas, oboritur ex haereseos nota quam auctor, inde a Callisto exorsus, romanis episcopis inurit. Id enim male partae a Novatiano dignitati plane contrarium videtur,

1 Eus. - *H. E. VII*, 5, 6

quum ipse se Fabiani pontificis successorem fecerit contra Cornelium. — Verum, ut concedam, primo vel secundo schismatis anno talem librum a Novatiano scribi non potuisse, quid si illum scripserit paullo post annum CCLII quo exeunte Cornelius pontifex vita migravit? Merito animadvertit Lumperus, ignorari a nobis quae fata Novatiani fuerint, postquam is ab Ecclesia segregatus est. Ex iis tamen, quae praecesserant, assequi coniectura possumus, quid Novatianus moliri deinde atque agere debuerit. Nempe, ut primum is romanam sedem occupasse visus est, circummissis quaquaversum litteris effecit ut specie veritatis decepti episcoporum aliqui eum uti legitimum Fabiani successorem haberent. At quum plerique alii eum nequaquam agnovissent, suos ipse gregales plurimis civitatibus regendis praefecit [1]. Sub idem tempus Novatiani fraude vulgatus est libellus quo Cornelii pontificis fama calumniis atrocissimis proscindebatur. Inter haec a catholicis episcopis examinata Cornelii causa, quaeque illius nomini fuerat imposita labes diluta est; tum etiam est demonstratum, ipsum Novatianum de lapsorum poenitentium receptione in eadem prius fuisse sententia quam ipse deinde, ut novam atque inauditam, Cornelio vitio vertit. Quare plurimi episcopi cum presbyteris ac diaconis Romam convenientes solemni iudicio Novatianum eiusque asseclas condemnarunt [2]. Ita brevi deceptor ille *retusus est et refutatus et per totum orbem abstentus* [3]. — Quid porro in hoc rerum articulo reliquum erat Novatiano qui neque suam in Fabiani locum successionem adserere, ueque cornelianae doctrinae vetustatem inficiari iam poterat? Opinor, homini contumacissimo dominandique percupido nihil potius videri potuisse quam ut calumnias frustra in Cornelium iactas ad vetustiora tempora transferret, quo facilius male cautis imponeret, eosque a catholicis abalienatos sibi addiceret. Haec enim summa, hic apex votorum Novatiano fuit, ger-

1 Cypr. - *Epp. XLII, LII ed. Pamel.*

2 Eus. - *H. E. VI*, 43.

3 Cypr. - *Ep. LXVII*, coll. *XLI-LII*; Corn. - *Ep. ad Fab. apud* Eus. *H. E. VI*, 43; Dionys. - *Epist. ibid. VII*, 4, 5, 8.

manae doctrinae assertorem videri, eoque nomine, detecto licet praesumptae ordinationis vitio, quamplurimis dominari. — Et sane e Socratis historia discimus, Novatianenses deinceps de romana successione non admodum fuisse solicitos. Namque inter eos episcopos, quibus ineunte seculo quarto se so regendos potissime permiserant, nequaquam romanum, sed constantinopolitanum, nicaenum, nicomediensem, cotyaenum dumtaxat nominatos reperimus [1]. Quod quidem mihi duplici de causa factum videtur, tum quod schismaticis radices Romae agere nunquam licuerit, tum quod primus ille pseudopontifex simul schismatis atque haereseos auctor exstiterit. Quapropter, adserta licet palamque agnita successione Cornelii pontificis, mansit adhuc Novatiani coetus, ut alia quaevis heterodoxorum factio, ab ecclesia catholica segregatus. — Potuit itaque Novatianus in angustias adductus Callistum pontificem eiusque successores calumniari, ut suum inter *Catharos* principatum in tuto collocaret.

Quaeret heic fortasse quispiam quid causae potuerit esse Novatiano cur in Callistum omnia mala reiiceret? Imo vero etiam percontabitur fortasse aliquis, viveret ne Callisti pontificis aetate Novatianus? — Ego vero, quamvis Novatiani aetas ex veterum memoriis accurato omnino circumscribi non possit, ad illam quod attinet, haud ita magnam reperio difficultatem. Testatur enim, refragante nemine, Socrates, tum Novatianum decessisse, quum Valerianus imperator christianos vexabat, hoc est eo medio tempore quod ab anno CCLVII ad annum CCLX defluxit. Quid igitur impedit, quominus Novatianum anno superioris seculi octogesimo sexto natum arbitremur? Hoc si ponamus, decessisset illo anno aetatis tertio vel quinto supra septuagesimum, romanamque cathedram anno sexagesimo quinto invasisset. Ita fieri potuit ut anno circiter CCXV, qua erat apud episcopum romanum existimatione, praetermissis gradibus interiectis [2], presbyter ordinaretur. Ratum quippe sacerdotalis ordinationis tempus trigesimo aetatis anno in-

1 Socr. - *H. E. IV*, 28

2 Cypr. - *Ep. LII.*

choabatur: imo vero hunc annum quandoque exspectatum non fuisse, indicat canon undecimus Concilii neocaesariensis quod Silvestri pontificis aetate celebratum est [1].

Nemo, opinor, mirabitur, Novatianum recentem adhuc a baptismo inter presbyteros fuisse cooptatum: si forte paulo ante trigesimum annum sacro latice aspersus est, quod ceteroquin ignoramus [2]. Eadem enim aetate Cyprianus *ad officium sacerdotii et episcopatus gradum adhuc neophytus et, ut putabatur, novellus electus est* [3]. Quin adeo similiter cum aliis actum fuisse nimis frequenter, e secundo canone synodi nicaenae intelligimus. Quod vero id taceat Cornelius pontifex in epistola ad Fabium antiochenum de Novatiano, mirum videri non debet. Commemorandis enim Novatiani laudibus in illa epistola non erat locus. Ceterum nuspiam legimus, Novatianum vel ethnicae superstitioni addictum aliquandiu fuisse, vel ethnicis parentibus ortum, vel sero inter catechumenos receptum. Quod ex Cornelio habemus, cum valetudinis ergo non *tinctum* baptismo sed *aspersum* esse, id (siquid evincit) indicio est, non diu illum in catechumenorum ordine mansisse. — Restat ut caussas quaeramus quae ad Callisti aetatem regredi Novatianum coegerunt. Equidem sic censeo. Tum composita est vel absoluta haec haereseon refutatio quum sabelliana haeresis recrudescere incipiebat. Iam in eo motu Novatianus haud dubie eam partem sequi debuit quae plus iusto obsistebat Sabellianis. Aeque enim Novatiani liber *De Trinitate* atque haec haereseon refutatio sabellianae thesi contrariam potius, quam contradicentem, antithesim opponit: vel, ut planius loquar, utrumque opus in adserenda personarum distinctione sic impenditur, ut naturae unitas non satis ibidem custodiatur. Qua in re non ita se gesserunt romani antistites. Hi enim inde a Callisto, qui Sabellium damnavit, ad Dionysium qui reviviscentem illius haereseos flammam restinxit, sic

1 Πρεσβύτερος πρὸ τῶν τριακόντα ἐτῶν μὴ χειροτονείσθω, ἐὰν καὶ πάνυ ᾖ ἄνθρωπος ἄξιος · ἀλλὰ ἀποτηρείσθω. *Presbyter ante trigesimum annum ne ordinetur, etsi vir fuerit dignissimus, at reservetur.*

2 V. Eus. - *H. E. VI*, 43.

3 Pont. diac. - *Vit. Cypr.*; Hier. - *De Scriptt. eccl. LVII.*

propugnarunt distinctionem ut simul unitatem defenderent. Novatianus igitur ad incitas redactus maximique pontificatus spe frustratus consilium iniisset quale videmus non raro in humanis con certationibus usurpari. Hanc nempe suam esse occasionem ratus, hoc libro (qui veluti extremus eiusdem haeresiarchae conatus haberi potest) latiorem dimicandi campum parare sibi contendit. Ut enim seducendis ab Ecclesia catholicis omni studio imminebat, concertationem de poenitentia, quae improspere sibi cesserat, cum controversia de Trinitate iungere instituit; per quod fidelium aliquos forte in tritheismum proclives conciliasset sibi atque a catholica communione abalienasset. At vero utraque controversia Novatianum sua veluti sponte ad eam aetatem revocabat qua Callistus pontifex tum episcoporum aliquot severitatem lenivit [1], tum Sabellium in errore contumacem ab Ecclesia segregavit. Satis igitur caussae Novatiano fuit, cur initia malorum, quae hoc in opere memorantur, reiicere in Callistum auderet. — Quid si praeterea nonnihil privatae simultatis Novatianum inter et Callistum intercessisset? Etsi publicam eius temporis historiam magna ex parte nosciamus, privatam vero plane ignoremus, placet nihilominus qualemcumque huius rei coniecturam promere, quae, sin minus quid fuerit, certe quid potuerit esse, demonstret.

Si Novatianus, ut superius posuimus, ultimis Zephyrini annis ordinatus est, ipse Novatiani baptismus privatae huiusmodi simultatis sive caussa sive occasio esse potuit. Testatur enim Cornelius in epistola ad Fabium antiochenum, clinicorum baptismo Novatianum fuisse aspersum, eundemque, repugnante clero ac plebe, ordinatum fuisse ab episcopo romano, derogata lege, qua cavebatur ne clinici inter presbyteros cooptarentur. Atqui tunc Callistus agebat romanae ecclesiae archidiaconum, uti ex *Philosophumenon* Scriptore rescimus. Archidiaconi autem erat minoris ordinis clericos instituere atque ordinanti episcopo adesse ut ecclesiae canones observarentur [2]. Pro suo igitur munere debuit

1 Cons. Tert. - *De pud. c. I; Philos. - IX*, 12; Cypr. - *Ep. LII*.
2 Conc carth. IV. - *cc*. 5. 6. 9.; Conc. tolet. I. - *cap*. 20.

prae ceteris Callistus Novatiani ordinationi obsistere. Quod si forte ita fuit, aegerrime id a Novatiano latum ac memori offensionum mente repositum, nemo mirabitur. Sed de his satis, quae, sicut forte minus probentur, non idcirco tamen propositam sententiam infirmare censenda erunt.

CAPUT XXX.

Iterati baptismatis reprehensio Novatianum non excludit.

Paullo gravior videri potest difficultas petita ex iterati baptismatis criminatione; quando exploratum sit, Novatianenses *rebaptizasse eos quos a nobis solicitabant* [1]. Verum hac in re Novatianus ipse sibi palam contradicebat, ut scite adnotat Cyprianus. *Quod si in Ecclesia baptizatos rebaptizandos foris extra Ecclesiam Novatianus existimat, a se incipere debuerat, ut prior extraneo et haeretico baptismo rebaptizaretur* [2]. Hoc tamen misso, revocatum heic velim, quod nihil habet quaestionis, unitatem baptismatis diserte agnitam fuisse ab iis etiam qui homines iam rite ab externis ablutos baptizabant [3]. Nec vero aliter, si Cypriano credimus, hac de re sentiebat Novatianus. *Sciens enim unum esse baptisma, hoc unum sibi vindicat, ut apud se esse Ecclesiam dicat et nos haereticos faciat* [4]. Ritus igitur a Novatianensibus iteratus, ad mentem Novatiani, *primum* erat, non *alterum* baptisma cuius impietatem omnes ex aequo detestabantur. Potuit proinde Novatianus obiectum sibi crimen intorquere in Callistum ut probaret, ecclesiam, in qua ipse tunc erat, sub Callisto primum coepisse corrumpi. — At quaenam ad Callistum accusandum ansa obtendi Novatiano potuit, si forte minus probatur quae ab Agrippini instituto peti posset? Ego vero, licet malim heic audire ac discere quam loqui, eam utcumque ex ipso Novatiani baptismo

1 Cypr. - *Ep. LXXIII.*
2 Id. - *Ibid.*
3 Id. - *L. c.;* Can. Apost. XLV. XLVI.; Tert. - *De bapt. c. XV.*
4 Cypr. - *L. c.*

divinari conabor. Respersus fuerat, ut nuper diximus, clinicorum baptismate Novatianus eiusque propterea ordinationi clerus plebesque repugnaverat quod Ecclesiae lege cautum erat ne clinicus inter presbyteros admitteretur. *Fides enim eius*, uti interpretantur patres neocaesarienses, *non ex instituto, sed ex necessitate.* Non tamen deerant per ea tempora (quod ex Cypriano accepimus) qui clinicorum baptisma irritum censerent [1]. Quare susceptus ea ratione baptismus Novatiano ab aliquibus tanquam dubius, ab aliis tanquam irritus est obiectatus: quod ex Cypriani responso ad Magnum intelligitur. Simile igitur veri est, clericorum aliquos sub Callisto archidiacono, dum disceptaretur de ordinatione Novatiani, hoc etiam nomine restitisse Novatiano, quod *aqua salutari non lotus esset, sed perfusus*, eumque proinde communi ritu baptizandum censuisse, si forte presbyter esset ordinaudus. Siquid porro eiusmodi vel archidiacono, vel pontifice Callisto contigerat, potuit profecto exacerbatus veteri offensione Novatianus ita calumniari: *Sub Callisto primum ipsi ausi sunt alterum baptisma.* Idque eo vel magis quod huic scriptori consuetum est ambiguis uti formulis, ubicumque catholicos criminatur, ut lector a catholicis in antecessum abalienatus eas in deteriorem partem accipiat, vel certe innoxia adversariorum facta contortis iuxta et iniquis enarrationibus interpretari, ut pessima quaeque iisdem tribuantur. Quid sane planius ac simplicius consilio quod Callistus ceperat adolescens ut semet a crudeli hero proriperet? Nimirum ab hoc deprehensus intra navim, quam alio migraturus conscenderat, in mare desiluit ut herum scapha vectum effugeret atque ad littus enatando appelleret. Auctor tamen rem ita enarrat, ut lector male in Callistum animatus intelligat, voluisse illum vitam interitu finire voluntario. Cuius generis exempla suo loco plura afferentur. Concludamus interim, posse subobscuram illam insinuationem pro ingenio scriptoris eo spectare quo diximus, atque adeo nullum inde argumentum duci posse quo liber iste a Novatiano abiudicetur.

1 Cypr. - *Ep. LXXVI.*

CAPUT XXXI.

Quod haec haereseon confutatio graece scripta sit, id ab aetate atque instituto Novatiani minime abhorret.

Quum haec lucubratio sit eiusmodi ut nequeat e latino in graecum versa censeri, obiiciet fortasse aliquis, plane inauditum esse quod Novatianus unquam graece scripserit. Quae difficultas triplici ex capite confirmatur. Primum est quod veteres de insigni hoc Novatiani opere siluerunt: alterum quod nemo notavit, utraque lingua Novatianum in scribendo usum fuisse: postremum, quod nullam veri speciem habet, adulto ferme seculo tertio Novatianum Romae graece scripsisse.

Verum ex his mihi primum atque alterum caput nullam creare difficultatem videtur. Si enim posthuma fuit, si pseudepigrapha haec haereseon confutatio, quo tandem recidit petitum e silentio argumentum? Quod vero attinet ad utriusque linguae usum, immerito requiritur memoria veterum, inter quos raro Hieronymus, perraro Eusebius, vix unquam alii de lingua a scriptoribus adhibita meminerunt. Undenam, quaeso, resciremus, Tertullianum graece etiam scripsisse, si tria illa opusculorum loca, in quibus hoc de se ipse testatur, una cum aliis iamdiu deperditis intercidissent?

Venio itaque ad extremum caput quod postulat ut nonnihil attingam de graeci sermonis usu apud nostrates eorum temporum scriptores. Cuius rei ratio ex ipsis christianae ecclesiae primordiis repetenda est. Quum enim graecus oriens occidenti longe praestaret ingeniorum cultu, christianae fidei magistris in oriente indoctis aut indisertis esse non licuit. Quare, philosophorum animis et studiis erga christianos excitatis, vix aliter de re christiana, quam graece, oportuit scribi, neque alibi maturius, quam in graeco orientis tractu, theologicas institui scholas necesse fuit. Sic alexandrina primum schola florere coepit, deinde caesariensis atque antiochena, in quibus christiani adolescentes sacras literas graece

docebantur. — Ad haec putaverim, inter Latinos atque in ipsa urbe Roma vetustiores evangelii praecones, ex oriente profectos, non ad alios primum, quam ad iudaeos, graecae linguae gnaros, verba facere consuevisse [1]. Hos quippe originis, institutionis, imprimisque divinarum scripturarum communio ad suscipiendum evangelium procliviores dabat. Quid? quod inter ethnicos ipsos latinarum civitatium incolas graeca lingua magno erat usui doctoribus christianae religionis? Nonne servorum plurimi, quibus christiana libertas tam leniter arridebat, graeci erant genere vel ex Graecorum coloniis in Urbem aliasque civitates coacti? Quod vero attinet ad ingenuos, horum institutio a graecis litteris incipiebat, iidemque probro sibi ducebant graece nescire [2]. Cui sane rei non minimum momenti attulit Augustorum atque Augustarum [3] exemplum, ex quibus aliqui graece commentati sunt, ferme omnes graecis addicti litteris fuerunt. — Hinc non modo Paulus apostolus et Marcus evangelista, verum etiam Ignatius, et Iustinus, qui graecam scholam Romae aperuit, et Tatianus et Rhodon Latinos graece sunt allocuti. Primi itidem scriptores Libri pontificalis, ut coniicitur ex frequentibus eiusdem hellenismis, tum Hermes, Pii pontificis frater, et Caius romanae ecclesiae clericus graeca lingua usi sunt. Vetustiora martyrum nostratum acta, ut Symphorosae, Iustini, Martyrum lugdunensium, Felicitatis, graecis litteris consignata fuerunt. Imo vero ad exitum usque alterius seculi, Hieronymo teste, nemo repertus est, qui de re christiana libros latine componeret. Africani autem fuere, qui primum latina opera vulgarunt post Apollonium senatorem romanum, Victor nimirum romanus pontifex ac Tertullianus presbyter carthaginiensis. Inter ipsos tamen afros latinae linguae retinentissimos Tertullianus latine scripsit et graece. — Iam quod notavimus de scriptoribus orthodoxis, idipsum de heterodoxorum lingua et operibus tenendum est.

1 Cf. *Act. apost.* - *XXVIII*, 17; *XVII*, 1-3, 16, 17; *XVIII*, 24, 25.

2 Quintilian. - *Inst. orat. I*, 1. 12.; Iuvenal. - Sat. III.

3 Recolantur Frontonis epistolae ad Calvillam, Hippolyti hieromartyris cohortatio ad Severinam, cet.

Graeca itaque fuerunt christianae litteraturae primordia, graecae ad tertium usque seculum progressiones: eiusque rei permultas sane reliquias retinuit latina lingua, qua deinceps ecclesiastici scriptores usi sunt. — Quae quum ita se habeant, qui tertio ecclesiae seculo inter doctiores christiani occidentis viros censebantur, quomodo graece nescire potuerunt, quin plerosque omnes christianae vetustatis ac doctrinae fontes haberent occlusos? Novatianus igitur, qui non christiana solum eruditione praestabat, sed in ipsa Graecorum philosophia versatus erat, graecum procul dubio sermonem calluit. — Accedit quod iis temporibus graeca lingua latissime fundebatur, cultissimamque ac frequentissimam Ecclesiae partem occupabat. Quapropter pontifices romani a plerisque episcopis graece scriptas epistolas accipere, eademque lingua vicissim ad eos scribere consueverant. Cuius rei specimen esse potest Cornelii pontificis epistola de Novatiano apud Eusebium, qui eius partem refert quin moneat, ut alias, eam latine scriptam fuisse. Quis igitur putet, Novatianum, iampridem (πρόπαλαι) supremi sacerdotii cupiditate incensum, graeco ignorasse? praesertim quum in eius libro *De Trinitate* non desint loca quae ex graeco scriptore sumpta videntur [1]? Equidem arbitror, non alio sermone compositas fuisse litteras electionis nuntias, quas ille ad alexandrinum Dionysium, quasque ad orientis ecclesias misit [2]. Nullus enim opportunior erat sermo ad orientis ecclesias devinciendas, ex quibus antiochenam sibi Novatianus propemodum conciliavit. Ubi cursim animadverto, unicum exemplar *Philosophumenon*, quod veteribus patuisse scimus, Cyrrhi extitisse apud Theodoretum, in eadem nempe illa dioecesi quae Novatiano primum favit. Ceterum quod e Novatiani scriptis unum opus *De Trinitate* ac binae eius epistolae superfuerint latine scriptae, graeca vero nulla supersint, id minus mirabitur qui animadvertet, scripta omnia post haeresim a Novatiano vulgata intercidisse.

1 Cf. Novat. - *De Trin. c. II* cum Theoph. antioch. - *Ad Autolyc. I*, 3; *De Trin. c. IV.* - *Ad Autolyc. II*, 3.

2 Eus. - *H. E. VI*, 45; Cypr. - *Epp. XLI, LII*; Socr. - *H. E. IV*, 28.

CAPUT XXXII.

De novatianensibus quartadecimanis.

Quum noster haereseographus heterodoxis accenseat Quartadecimanos, ac ceteroqui ex veteribus constet, Novatiani sectatores cum Quartadecimanis consensisse, non deerit sano, qui vel hoc nomine *Philosophumena* abiudicanda esse existimet a Novatiano. Operae igitur pretium est hanc etiam expendere difficultatem. Et quoniam res novatianenses nemo diligentius, quam Socrates, exsequitur, praestat eam exigere ad huius historici testimonium 1.

Certum est, Novatianenses aliquando decrevisse ut, *quo die Iudaei azyma celebrarent, observaretur quotannis cum iisque paschale festum ageretur*. Verum id Valentis imperatoris aetate factum est eosque tantum Novatiani asseclas habuit auctores qui in vico Phrygiae Pazo degebant. His deinceps, duce quodam Sabbatio, nonnulli ex novatianensibus byzantinis accessere. Sed quum hoc Marciano eorum episcopo displicuisset, synodus ab eo coacta est apud Sangarum Bithyniae, ibique sancitum, nullam de die paschali legem esse ferendam. Hanc sententiam, quae plerisque Novatianensium placuit, propugnat Socrates, at simul testatur: *Novatianenses, qui Romae agebant, Iudaeorum morem nunquam secutos esse; eosdemque constanter post aequinoctium pascha celebrasse*. Novatianus igitur, qui hac in re nunquam recessit a praescripto romanae ecclesiae, potuit Quartadecimanos heterodoxis accensere.

Haec erant, meo iudicio, quae cum aliqua veri specie obiici nobis poterant. His proinde dilutis, consequens esse videtur, ut exclusorium, quo sententia haec nititur, argumentum valere debeat. Eidem tamen confirmando in sequentibus articulis praecipuas auctoris notas cum Novatiano conferemus.

1 Socr. - *H. E. IV*, 28; V, 21 coll. Sozom. - *H. E. IV*, 18.

CAPUT XXXIII.

Lucubrationis tenor atque eruditio, nec non alia eiusdem auctoris opera Novatiano aliena censeri nequeunt.

Quemadmodum singularis doctrinae laudem, quam veteres Novatiano tribuerunt, exaequat auctoris eruditio, sic nominatim congruit Novatiano ea philosophicae eruditionis ostentatio quae se identidem in hac lucubratione prodit. *Novatianum mihi ingeris?* aiebat Pacianus ad Sympronianum [1]. *Philosophum seculi fuisse audio.* Neque aliter de Novatiano scripserat Cyprianus inquiens: *Iactet se licet et philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus praedicet* Novatianus. *Qui nec fraternam caritatem nec ecclesiasticam unitatem retinuit, etiam quod prius fuerat, amisit* [2]. Quin imo ipse Novatianus non aliud convenientibus diaconis causatus est quam philosophiae studium, ne, infesta christianis tempestate, ad opem confessoribus ferendam prodiret [3].

Praetereo, ne sim nimius, alia veterum testimonia de Novatiani doctrina. Eam certo nemo eximiam fuisse diffitebitur, quam scilicet ipsimet catholici in homine insigniter exoso commendarunt. Quid de huius operis deque Novatiani eloquentia dicam? Lucubrationis quidem ratio, quae fermo historica est, tum scriptoris aetas devexa in senium, denique alienae linguae usus vix ullum redundantiae vel facundiae relinquebant locum. Ubi tamen scriptor paullo fieri concitatior videtur, singula propemodum eius verba suam habent emphasin: ad haec identidem in opere universo, maxime vero ad extremum, ubi auctor omnes terrarum incolas alloquitur, propria Novatiani grandiloquentia minime desideratur.

Equidem non arbitror, inter hoc scriptum et scripta Novatiani eam stili convenientiam esse requirendam, quae merito postulatur,

1 Pacian. - *Ad Sympr. ep. II.*
2 Cypr. - *Ad Antonian. ep. LII.*
3 Corn. - *Ep. ad Fab antioch.*

quum de Tertulliano sermo est. Longe enim abfuit Novatianus ab ea scribendi ratione quae Tertullianum ab aliis omnibus discriminat planeque secernit. Ceterum, seposito discrimine quod linguae diversitati ac materiae dissimilitudini tribui merito potest, eadem quae apud Novatianum, epithetorum ac pronominum copia, adversantium item particularum atque incidentium propositionum frequentia in hoc scriptore deprehenditur. Ordinis demum perspicuitas, qua nitet eius liber, optime congruit Novatiano, quem a lucidissima tractationum suarum dispositione nemo non laudaverit.

Heic res ipsa me monet, ut ceteros auctoris libros cum Novatiani operibus conferam: sed huic comparationi vix alius finis praestitui potest quam ut ostendatur, eiusmodi libros non esse alienos ab ingenio Novatiani. Etsi enim hic multa scripserit, uti Hieronymus testatur [1], eius tamen scripta ferme omnia interierunt. Quam operum iacturam, si quid graece scripsit Novatianus, eo minus est cur miremur. Id quippe contigisset Novatiano, quod et Irenaeo primum, et Tertulliano, et aliis in occidente permultis, qui graece aliquid commentati sunt. Exeunte nimirum seculo tertio coepit christianus occidens abundare operibus latine scriptis vel e graeco in latinum versis: ex quo graecorum operum inter Latinos sublata necessitas est atque utilitas imminuta. Quarto demum seculo incheato, quum Byzantium orientis romani caput esse coepit, simul Graecorum in Urbem concursus desiit, simulque graecae linguae studium in occidente sensim deferbuit. Quare ante medium seculum quintum Caelestinus ipse, pontifex maximus, Nestorii litteris responsum dare distulit *quod esset in latinum sermo vertendus* [2]; qua in re Cassiani longe ab urbe degentis opera indiguit. Ea propter existimo factum esse, ut graeca Latinorum opera, quae iam parvi pendebantur in occidente, quaeque orientalibus, absente stili illecebra, parum sapiebant, paullatim interciderint. Neque aliam ob caussam contigisse putaverim, quod ex Eusebio habemus, ut plura exstarent opera graece a no-

1 Hier. - *De scriptt. eccl. LXX.*
2 Conc. ephes. - *P. I. c. XVIII.*

stratibus tertio seculo composita, quorum auctores quarto ineunte seculo ignorabantur. Quae profecto confirmant, nullam esse rationem quae forte nobis obiectari ex veterum silentio de graecis Novatiani operibus posset. Sed ad rem propositam regrediamur. — Ex binis operibus, quae diserte ab auctore designantur, alterum philosophicum est controversumque inter ipsos veteres auctoris, alterum haereseologici argumenti planeque communis. His profecto nullus e novem titulis operum novatianensium, quos Hieronymus memorat, aptari potest; at neutrum Novatiano repugnat, qui et *alia multa*, teste Hieronymo, praeterea scripsit, et parem utrique argumento doctrinam habuit. — Alius ab auctore liber his vocibus indicatur: *Sacrificalis quidem liturgia, decenter divinitati oblata, perfecte apud Iudaeos exercebatur; quod qui nosse velint, facile intelligent ex libro quo haec enarrantur* 1, cet. Haec nisi forte ipsum indicent *Leviticum*, non inepte referri possunt ad Novatiani librum *De Sacerdote*. — Voce an scripto haeresim Elchasaitarum refutarit auctor, incertum est. Ea tamen quae Novatianus edidit *De cibis iudaicis*, *De sabbato*, *De circumcisione*, minime abhorrent ab auctore qui obstitisse se iudaizanti haeretico eiusque fautores refutasse praedicat. Fuit is Alcibiades apamensis qui paullo ante schisma Novatiani Romam veniens christianos mosaicis institutis mancipare studebat 2. Missae autem sunt epistolae illae a Novatiano absente *ad plebem in Evangelio stantem:* quo *stantium* nomine censebantur qui per decianam insectationem a fide *lapsi* non fuerant 3. Quare licet arbitrari, Novatianum, qui luctuoso illo Ecclesiae tempore abdiderat sese vel Roma digressus fuerat, per eos libellos reliquam adhuc opinionem de iudaicorum rituum necessitate refellere voluisse. — Sed nimis fortasse multa

1 Ἱερουργικὴ λειτουργία ἄκρως ἐξήσκητο παρ' αὐτοῖς εὐσχημόνως πρὸς τὸ θεῖον προσφερομένη, καθὼς τοῖς βουλομένοις ῥᾳδιόν ἐστιν ἐντυχοῦσι τῇ περὶ τούτων ἐξαγορευούσῃ βίβλῳ μαθεῖν κ. τ. λ. - *Philos.* - *IX*, 30.

2 *Philos.* - *IX*, 14.

3 Cypr. - *Epp.* *XIV*, *XXVII*, *XXX*, *XXXI*, *LIV*.

de scriptoris operibus, quae interciderunt: haud certe pluribus opus est, ut id unum, quod propositum erat, evincatur, memoratas ab auctore lucubrationes nequaquam abhorrere a Novatiano.

CAPUT XXXIV.

Practica scriptoris placita Novatiano congruunt.

Praestat iam practicas conferre doctrinas quibus tum auctor *Philosophumenon*, tum Novatianus a catholicis dissidebant.—Ecclesiam ille reprehendit, quod inde a Callisti pontificatu omnibus peccata dimitteret quodque externis ad eam confugientibus communionem indiscriminatim offerret. Quo in loco non id Ecclesiae tribuitur et vitio vertitur, quod citra poenitentiae actionem eos receperit qui ob gravissimas noxas ab Ecclesiae communione exciderant. Alioquin enim accusator egregie maledicus dixisset apertius, quascumque noxas *citra poenitentiae actionem* ab Ecclesia dimitti consuevisse. Igitur id unum carpit auctor, quod omnibus ex aequo poenitentiae ac remissionis copia fieret. Ex quo factum esse, subdit, *ut multi conscientia malefactorum stimulati, simul et a multis expulsi sectis, quidam vero etiam post iudicialem sententiam ab ipso eiecti ex ecclesia, accedentes ad ipsos* (Catholicos) *Callisti scholam repleverint.*

Quum heic ea solum practicae doctrinae capita sint attingenda, quae certum auctoris ab Ecclesia dissidium exhibent, missas interim facio criminationes, quae generatim ad clericos referuntur, quaeque proinde commodius alibi expendentur. Id solum heic notatu dignum videtur, quod nominatim ad Callisti erga episcopos indulgentiam attinet. Hunc enim auctor incusat, quod statuerit, episcopos in peccata vel mortifera prolapsos de gradu deiici non oportere. Unde quis non immerito coniecerit, auctorem ex iis fuisse qui iacturam sanctificantis gratiae in episcopis cum iactura potestatis episcopalis nexam censuerunt.

Hanc porro indulgentiam auctor dicit a Callisto excusatam pluribus allatis Scripturarum locis, inter quae praecipue memorat il-

lud Pauli : *Tu quis es qui iudicas alienum servum?* atque illud Christi: *Sinite zizania crescere cum tritico*: denique illa, quae de animantibus in arca noëtica inclusis scripta sunt, uti quae ad Ecclesiam significandam pertineant. Namquo *et arcam Noë, in qua et canes et lupi et corvi et omnia munda et immunda, symbolum Ecclesiae fuisse dixit, affirmans idipsum in Ecclesia esse oportere... Cuius auditores scienter addicti ipsius dogmatis permanent, illudentes et sibi et multis, quorum ad scholam turbae concurrant.*

His accedit alterum practicae doctrinao caput, quod ad secundas nuptias refertur. Quantum enim e vexato quodam huius scripti loco intelligere licet, huiusmodi nuptias auctor, tanquam adulteria damnabat. Sed praestat ipsa scriptoris verba diligentius expendere. — Καὶ γὰρ καὶ γυναιξὶν ἐπέτρεψεν (ὁ Κάλλιστος), εἰ ἄνανδροι εἶεν καὶ ἡλικίᾳ τε τε καίοντα ἐναξία ἡ ἑαυτῶν ἀξίαν ἣν μὴ βούλοιντο καθαίρειν 1. — Quao voces, etsi nullum per se fundant sensum, cum sequentibus comparatae indicant, heic impares reprobari nuptias, quas Callisti permissu inibant clarissimae feminae nullo respectu legis iuliae *De maritandis ordinibus*. At super haec alterius quoque generis nuptias auctor improbaro videtur, dum conditionem a Callisto requisitam his vocibus commemorat: *Mulieribus etiam indulsit*, nuptias videlicet, *si modo sine viro sint*, cet. Nam neque reprobanda fuit ab homino quantumvis dicaci, neque ullo pacto memoranda eiusmodi conditio, si do feminis, quae primo nuberent, sermo fuisset. Hoc igitur nomine Callistum carpit auctor, quod feminis quibuscumque, sive viduis sive virginibus, permiserit, ut nuberent. Quare neque dixit εἰ ἄγαμοι *(si modo innuptae)*, neque εἰ χῆραι εἶεν *(si viduae sint)*; sed simpliciter εἰ ἄνανδροι εἶεν *(modo sine viro sint)*, quae locutio virgines ac viduas complectitur. Quibus animadversis, hic auctoris locus, ob easdem forte recurrentes voces a librario mutilatus et corruptus, suppleri quoad sententiam posset in hunc modum : Καὶ γὰρ καὶ γυναιξὶν ἐπέτρεψεν, εἰ ἄνανδροι εἶεν καὶ ἡλικίᾳ . . . καίοιντο, ᾧ τινι ἂν

1 *Philos* - *IX*, 12.

θέλουσι γαμηθῆναι · καὶ ὁμοίως, εἴ τινος ἂν καίο]ιντο αἱ ἐν ἀξίᾳ, ἣν ἑαυτῶν ἀξίαν μὴ βούλοιντο καθαιρεῖν. *Nam et mulieribus permisit, si viro careant et per aetatem . . . urantur, nubere cuicumque volunt: et similiter, si constitutae in dignitate feminae aliquem depereant qualemcumque, etsi suam dignitatem nolint deponere.* Atqui auctor hanc suam criminationem concludit acerbissimo illo epiphonemate: *Videte in quantam impietatem cessit exlex ille* (Callistus) *adulterium et caedem simul docens* [1]! Secundas igitur nuptias, uti adulteria, ipse damnabat. Quod ex eiusdem articulo de Montanistis confirmatur; monogamiam quippe laicis impositam inter Montanistarum errores nequaquam recenset.

Iam vero haec eadem placita Novatianus contra Ecclesiam propugnavit. Quum enim primo solam apostasiam esse inexpiabilem voluisset, deinde plures alias noxas, quas ipse mortiferas vocabat, expiari per Ecclesiam posse negavit [2]. *Tractatus* nempe *omnis Novatianorum*, ut Pacianus [3] monuit, *hoc continet*: *quod post baptismum poenitere non liceat: quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit: imo quod ipsa pereat recipiendo peccantes.* Quare eadem illa Scripturarum testimonia quae auctor a Callisto usurpata dicit, obiectari Novatiano consuevorunt. Pauli effatum (Rom. XIV, 4) Novatiano opposuit ante Pacianum Cyprianus et Scriptor Cypriano coaevus aiens: *Et tu iam, Novatiane, iudicas et nullam spem pacis ac misericordiae habere lapsos praedicas, nec increpanti Apostolo aurem accommodas dicenti: Tu quis es qui iudicas servum alienum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem: potens est Deus stabilire eum* [4]. Parabolam de zizaniis diu ante Eulogium Novatiano obieceral idem Cyprianus scribens: *Quantus arrogantiae tumor est, quanta humilitatis et lenitatis oblivio, arrogantiae suae quanta iactatio, ut quis audeat,*

1 Ὁρᾶτε εἰς ὅσην ἀσέβειαν ἐχώρησεν ὁ ἄνομος μοιχείαν καὶ φόνον ἐν τῷ αὐτῷ διδάσκων. *Philos. - L. c.*

2 Cypr. - *Epp. LII, LVII, al.* - Socrat. - *H. E. IV*, 28.

3 Pacian. - *Ad Sympr. ep. III.*

4 Anonymus - *Ad Novatianum haereticum* coll. Cypr. - *Ep. LII, et* Pacian. - *Ad Sympr. ep. III.*

aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania a frumento putet se posse discernere [1]? Denique arcam, Ecclesiae typum, Novatiano obiecit non modo Eulogius et Pacianus, sed scriptor etiam nuper memoratus idemque Novatiani aequalis inquiens: *Lex unam nobis et singularem designat Ecclesiam, in illa scilicet quae sub Noë ante diluvium, Dei providentia, fabricata est arca, in qua non tantum munda animalia sed et immunda (ut tibi cito respondeatur, Novatiane) invenimus esse reclusa.*

Quod attinet ad episcopos in letalia peccata lapsos congruit auctoris placitum cum sententia Novatiani. Hic enim (ut auctor est scriptor *Quaestionum V. et N. Testamenti*) *fidei ministros accusavit eosque dixit non esse audiendos, si peccassent.* Quare mirum non est, reprehensam ab eo fuisse quamlibet Ecclesiae indulgentiam erga episcopos qui graviter deliquissent. — Illud potius a Novatiano alienum videri posset, quod secundas nuptias, tanquam adulteria, culpaverit. Sed, quamvis principio Novatianus, uti Theodoretus [2] refert, eiusmodi matrimonia non damnarit, veri tamen simillimum est, eum in extremo hoc opere severitati suae magis indulsisse. Universa enim Novatiani soboles, eodem teste Theodoreto, placitum illud constanter tenuit; ac propterea canon octavus nicaenao synodi ea conditione recipiendos constituit Novatianenses, ut se cum bigamis communicaturos pollicerentur. — Concludamus igitur licet, pratica scriptoris huius placita, quantum satis est, cohaerere cum praeceptionibus Novatiani.

1 Cypr. - *Epp. LI, LII.* - Eulog. alex. - *Cont. Novatian. L. III ap.* Phot. - *Cod. CCLXXX.*

2 Theodoret. - *Haer. fabb. III*, 5. coll. V, 26.

CAPUT XXXV.

Doctrina scriptoris de divina Trinitate non abludit a Novatiani doctrina.

Post iacturam operum, quae Novatianus vulgavit, vix alia doctrinae comparatio institui potest inter auctorem huius libri et Novatianum quam quae respiciat utriusque doctrinam de divina Trinitate. Huius enim argumenti liber a Novatiano compositus adhuc superest: cetera eiusdem scripta ferme omnia interciderunt. Quum tamen de praecipua christianae theologiae parte agatur, in qua scriptor huius operis ac Novatianus prolixe satis versantur, utriusque concordia in hoc doctrinae capite non parvi erit momenti ad propositam disceptationem.

Verum priusquam consignatam huic operi doctrinam cum similibus Novatiani placitis conferam, praeiudicium aliquod amoliar, necesse est, quod oboriri ex huius operis lectione posset. Primo nempe aspectu tam heterodoxa videri potest antithesis, quae ibidem adstruitur, de distinctione divinarum hypostaseon, quam est orthodoxa Callisti thesis quae ibidem ab auctore redarguitur. Scribit enim auctor, hanc fuisse a Callisto excogitatam haeresim: *Verbum esse filium, idemque patrem, nomine tenus aliter appellatum, quum revera unum sit, spiritus nempe individuus. Non aliud esse patrem, aliud vero filium, sed unum et idem esse: atque omnia plena esse divino spiritu quae supra quaeque infra sunt: ac spiritum in Virgine incarnatum non alium esse a patre, sed unum eundemque spiritum* 1. Quae rursum his concepta vocibus in epilogo repetuntur: *Patrem esse filium, verbo quidem ita appellatum, re tamen unum. Deus enim... non est alius spi-*

1 (Ὁ Κάλλιστος) ἐφεῦρεν αἵρεσιν τοιάνδε, λέγων τὸν λόγον αὐτὸν εἶναι υἱόν, αὐτὸν καὶ πατέρα, ὀνόματι μὲν καλούμενον, ἓν δὲ ὄν, τὸ πνεῦμα ἀδιαίρετον· οὐκ ἄλλο εἶναι πατέρα, ἄλλο δὲ υἱόν, ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν, καὶ τὰ πάντα γέμειν τοῦ θείου πνεύματος τά τε ἄνω καὶ κάτω, καὶ εἶναι τὸ ἐν τῇ παρθένῳ σαρκωθὲν πνεῦμα οὐχ ἕτερον παρὰ τὸν πατέρα, ἀλλὰ ἓν καὶ τὸ αὐτό. *Philos.* - *IX*, 12 *pag.* 289.

ritus praeter Verbum, neque Verbum (est alius spiritus) *praeter Deum. Unam igitur hanc personam, nomine quidem divisam esse, re autem secus. Hoc Verbum* Callistus *appellat unum Deum, atque incarnatum dicit: at simul eum, qui secundum carnem conspicuus est et circumscriptus, vult esse filium; eum vero, qui habitat in illo, patrem* 1. Sunt autem Callisti pontificis effata plane orthodoxa, si modo ea secernantur a consectariis, quae perperam callistianae doctrinae affinguntur, de contractione personarum deque Patris inhumanatione. Callistus enim, uti actor ipse fatetur, nolebat unam dicere personam, neque Patrem dicere passum: sed illud tantummodo pugnabat, ut Pater ac Verbum unus idemque haberetur spiritus indivisus. Agnovit igitur auctor in divina Trinitate *aliud* atque *aliud* eaque propter callistianam doctrinam sabellismi arguebat. Sic deinceps Ariani catholicos insimularunt sabelliani erroris, quod iidem, Filium esse Patri consubstantialem, inficiabantur. — Atqui post Bulli et Marani commentationes vix est qui vocet in dubium Novatiani orthodoxiam in doctrina de Trinitate. Alius igitur a Novatiano est auctor *Philosophumenon*, utpote qui diversam a Novatiani scitis doctrinam tueatur.

At nequis prima veri specie deceptus perperam de scriptoris doctrina pronunciet, animadvertatur primo, nonnihil esse indulgendum homini, qui totus est in sabelliano errore convellendo, si divinae substantiae unitati non satis prospicere videtur, dum personarum distinctionem propugnat. Idipsum quippe tum in aliis tum in eadem illa controversia scriptoribus apprimo orthodoxis contigisse constat 2. Quo posito, illud revocetur, scriptoris cuiusque sententias non per obliquam illationem, sed ex directa doctrinarum consideratione cognoscendas esse, quum diserta suppetit expositio doctrinae quam auctor profitetur. Iam vero, licet

1 Τοῦτον (τὸν πατέρα) εἶναι υἱὸν, ὀνόματι μὲν λεγόμενον καὶ ὀνομαζόμενον, οὐσίᾳ δὲ (ἓν) εἶναι · πνεῦμα γάρ . . . ὁ θεὸς οὐχ ἕτερόν ἐστι παρὰ τὸν λόγον ἢ ὁ λόγος παρὰ τὸν θεόν · ἓν οὖν τοῦτο πρόσωπον ὀνόματι μὲν μεριζόμενον, οὐσίᾳ δὲ οὔ · Τοῦτον τὸν λόγον ἕνα εἶναι θεὸν ὀνομάζει καὶ σεσαρκῶσθαι λέγει. Καὶ τὸν μὲν κατὰ σάρκα ὁρώμενον καὶ κρατούμενον υἱὸν εἶναι θέλει, τὸν δὲ ἐνοικοῦντα πατέρα. *Ibid.* - X, 27 *pag.* 330.

2 Cf. Petav. - *De Trinitate II*, 3.

auctor immerito Callisti pronunciata reprehenderit, ac proinde *Ditheus* merito audierit, ea tamen doctrinae capita ipse profitetur, quae omnino ditheismum excludunt. Non modo enim (quod parum esset) Peratarum tritheismum damnat [1], ac docet, *unum esse Deum* [2], sed fatetur etiam, Verbum esse Deum Patri consubstantialem, dum ita scribit: *Huius* (Patris) *Verbum solum ex ipso* (Patre): *idcirco et Deus, essentia quum sit Dei* [3]. Nequo vero distinguit Verbum a Filio, tanquam aeternam Patris sapientiam a certo quodam eximioque Patris fetu qui carnem assumpserit: quod ante Arium nonnulli haeretici tertio ineunte seculo commenti fuerant. Namque idem illud Verbum quod ab auctore dictum fuerat *Deus ex Patre genitus*, ab eodem dicitur deinde ἐκ Παρθένου σῶμα ἀνειληφώς, *ex Virgine corpus assumpsisse* [4]. Auctoris igitur professio do Patre ac Filio non dissidet a nicaena qua credimus *in unum Dominum Iesum Christum, natum de Patre, unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo . . . qui. . . homo factus est.*

Porro ut intelligamus, qui potuerit scriptor hac in parte orthodoxus catholicam Callisti doctrinam reprehendere, satis esset animum parumper advertere ad controversias quae non raro catholicorum sententias diviserunt. Suppetit nihilominus et alia ratio minus alte repetita, per quam obiectas ab auctore criminationes intelligamus. Solemne nimirum est huic actori inter accusandum vel formulas adhibere ancipites ut deteriora de reo credantur, vel dicta et facta in utramque partem patentia sic interpretari ut in reum invidia conffetur. Ut autem sunt mysteriorum salebrae quaerendis ambagibus struendisque fraudibus opportuniores, in tractanda *mirabili* illa *discrectione coniuncta et coniunctione discreta* [5] callido huic sophistae difficile non fuit, vocabulorum ambi-

1 *Philos.* - *V*, 12 *pag.* 12.

2 *Ibid.* - *X*, 32.

3 Τούτου ὁ Λόγος μόνος ἐξ αὐτοῦ · διὸ καὶ θεός, οὐσία ὑπάρχων θεοῦ. *Ibid.* - *X*, 33 *pag.* 336.

4 *Ibid.* - pag. 335-37.

5 Basil. - *Ep. XXXVIII*, 4.

guitate ad calumniandum abuti. Callisti quidem verba: ***Patrem et Filium esse unum eundemque spiritum***, orthodoxa sunt si vocabulum *Spiritus*, pro communi acceptione, substantive intelligatur: sabelliana vero, si accipiatur hypostatice, ut ex vetustioribus aliqui interdum illud acceperunt [1]. Sed ex orationis contextu patet eam vocem ita prorsus accipi ab auctore, ut Callistus in haeresim sabellianam lapsus esse significetur. Non debet igitur auctor ob callistianae doctrinae reprehensionem heterodoxus haberi: nec proinde potest haec haereseon refutatio eo solum nomine a Novatiano abiudicari.

Hac depulsa exceptione, supervacaneum videtur immorari in conferenda Novatiani doctrina cum iis quae scriptor huius operis habet de Patre ac Verbo deque mutua utriusque hypostaseos habitudine. Adeo nempe similia sunt inter sese, quae leguntur in libro Novatiani *De Trinitate* c. XXVII atque in hac haereseon confutatione IX, 12; quaeque rursum heic X, 3 atque illic cc. XV, XXXI consignata sunt. Unum praetermitti non debet utpote quod in re summi momenti maximam utriusque scripti consensionem patefacit. Scriptor *Philosophumenon,* etsi alias de sancto Spiritu mentionem facit, nullam tamen infert, ubi de Patre ac Verbo copiose disserens veram de Deo doctrinam ab se tradi monet. Qua in re similis, imo plane gemina est ratio Novatiani, qui, quum ieiune admodum de sancto Spiritu locutus esset c. XXIX lib. *De Trinitate*, ubi tamen tractationis universae summam proponit, de divino Spiritu plane silet. Quae fortasse caussa fuit cur *macedonianae partis haeretici* exeunte seculo quarto *librum Novatiani* De Trinitate *Constantinopoli lectitarent* [2]. — Nemo sane hunc Novatiani librum vel hanc haereseon refutationem, quae tamdiu ante pneumatomachos prodierunt, haereseos hoc ex capite insimulet. Ut enim quarto ineunte seculo in ariana controversia, sic tertio incheato ac medio in sabelliana, de Patre ac Filio dumtaxat est concertatum. Quam ob rem Sabellii sectatores, qui a Latinis

1 Tertull. - *Apologet. XXI;* Novatian. - *De Trin. I-VIII* coll. *IX*

2 Hieron. - *Adv. Rufin. II,* 19.

patripassiani appellabantur, a Graecis υἱοπάτορες audiebant. Quum tamen apud ortohodoxos eius aevi scriptores distincta de tribus hypostasibus doctrina non desideretur, ad utriusque operis concordiam haud immerito referri existimo quod in explicanda *regulâ veritatis* ex aequo illius atque huius operis auctor a perfecta divinae Trinitatis notione abfuisse videatur.

CAPUT XXXVI.

Auctoris in Ecclesiam criminationes cum Novatiani rationibus cohaerent.

Recte adnotavit Doellingerus, criminosae illi delationi, quae nonum occupat librum *Philosophumenon*, simillimum esse debuisse, quem Novatianus edidit famosum de Cornelio pontifice libellum. Quandoquidem haec delatio praeferat eamdem, ac libellus ille, *hominis maligni velut serpentis astutiam venenatam* in id unice intentam ut fideles *per captiosam loquacitatem circumventi et decepti ab Ecclesia alienarentur* 1. At non modo maledica scriptoris indoles et propositum scriptori consilium cum Novatiani animo atque ingenio congruit, quod a nobis est alibi animadversum; verum et peculiaris criminandi ratio, qua scriptor utitur, cum ratione Novatiani propria plane cohaeret; qui nimirum *sacrilega temeritate* in Catholicos *sua crimina retorquere* consuevit 2. Allatis aliquot exemplis rem illustrabo.

Non diffitetur auctor, quod latere neminem poterat, magnam exstitisse per ea tempora fidelium perturbationem: sed eius caussam, quam ipse sibi dissidiorum satori tribuere debuit, impudenter in catholicos reiicit. *Magno*, inquit, *circa omnes haereses a nobis facto certamine, nihilque nobis irreprehensum relinquentibus superest nunc maximum certamen, enarratas dare ac revictas haereses contra nos excitatas, per quas quidam inscientes iuxta et*

1 Cornel. pont. - *Ep. inter cyprianic. XLVI.*

2 Auctor opusculi contra Novatianum.

audaces dispergere conati sunt Ecclesiam, maximam perturbationem inter omnes fideles per universum orbem immittentes [1]. Quae christianorum perturbatio, si modo ea sibi constent quae de operis aetate disseruimus, non alia fuit quam excitata a Novatiano tempestas.

Rursum ex Cornelii ac Cypriani testimonio discimus, hinc quidem plurimorum a schismate discessionem, inde vero schismaticorum paucitatem Novatiano obiectam fuisse. Quod item Novatiani successoribus Pacianus opposuit scribens in hunc modum: *Nec impedire mihi Novatianos puto, quorum parvitate, si vellem, atque defectu poteram gloriari* [2]. — Haec autem ipsa sibi obiecta refellere, ac petitum inde argumentum diluere auctor huius refutationis haudquaquam negligit, siquidem non alio spectare videtur, dum ait: *Multiplicantur* (catholici) *gloriantes de turbis propter voluptates quas Christus non concessit* [3].

Ad haec notus est Novatiani ambitus in episcopatu per vim et et fraudem quaerendo, quum rite iam pontifex electus esset Cornelius; qui proinde in epistola ad Fabium antiochenum acriter de Novatiano conqueritur eundemque negat sancti Spiritus participem esse potuisse. Neque incompertum est quod purgandi sui gratia deinde scripsit Novatianus, invitum se ad romanas infulas assumptum fuisse [4]. — Iam vero haec omnia et singula occupare auctor videtur in ipso operis prooemio scribens: *Esse se Apostolorum successorem eiusdemque gratiae* (sancti Spiritus), *summique Sacerdotii et magisterii participem, nec non Ecclesiae custodem*

1 Πολλοῦ τοίνυν τοῦ περὶ πασῶν αἱρέσεων γενομένου ἡμῖν ἀγῶνος, μηδέν τε ἀνεξέλεγκτον καταλιποῦσι, περιλείπεται νῦν ὁ μέγιστος ἀγὼν, ἐκδιηγήσασθαι καὶ διελέγξαι τὰς ἐφ' ἡμῖν ἐπαναστάσας αἱρέσεις, δι' ὧν τινὲς ἀμαθεῖς καὶ τολμηροὶ διασκεδαννύειν ἐπεχείρησαν τὴν Ἐκκλησίαν, μέγιστον τάραχον κατὰ πάντα τὸν κόσμον ἐν πᾶσι τοῖς πιστοῖς ἐμβάλλοντες. *Philos.* - *IX*, 6.

2 Pacian. - *Ad Sympron. ep. III.*

3 Πληθύνονται γαυριώμενοι ἐπὶ ὄχλοις διὰ τὰς ἡδονὰς, ἃς οὐ συνεχώρησεν ὁ Χριστός. *Philos.* - *IX*, 12.

4 Dionys. alex. - *Ep ad Novatian. ap. Eus.* - *H. E. VI*, 45.

existimatum [1]. Quibus verbis auctor summum, quo fungebatur, sacerdotium repetit quodammodo e voluntate illorum quibus praeerat, ac proinde ab se ambitus atque arrogantiae crimen depellit. Neque vero affectati pontificatus invidiam a se amoliri satis habet; sed eam reiicit in Callistum pontificem, a quo iampridem illatam romanae ecclesiae labem calumniatur. Quo in loco non est cur admodum Cornelii pontificis mentionem requiramus. Misso enim quod alias Novatianus in Cornelium scripserat, quodque tunc is iam vita migraverat, operis propositum, quod haereseon origines potissime spectabat, Cornelii mentionem nequaquam poscebat.

Huc etiam forte referri possunt, quae scriptor iste in Callistum intorquet de violata prima fide, de permisso anabaptismo, de dissipatis fidelium depositis: quorum nempe scelerum duo priora Novatiano, postremum Nicostrato Novatiani legato obiectatum scimus [2]. Huc denique universa operis ratio dum callistianae doctrinae, non secus ac haereseon, originem designat philosophiam ethnicorum, ex qua nimirum Novatiani errores dimanasse, catholici passim affirmarunt.

Ex quo facile apparet, peculiarem calumniandi modum, qui eminet in hac haereseon refutatione, a modo Novatiani proprio alienum non esse.

CAPUT XXXVII.

De cognatione auctoris cum Tertulliano.

Fateor equidem, plura ex his, quae hactenus notata sunt, apte in Tertullianum cadere; imo vero, aliqua eum huius operis propemodum clamare auctorem, non diffiteor. Quamdiu tamen

1 Ὧν (ἀποστόλων) ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες, τῆς τε αὐτῆς χάριτος (ἁγίου πνεύματος) μετέχοντες, ἀρχιερατείας τε καὶ διδασκαλίας καὶ φρουροὶ τῆς ἐκκλησίας λελογισμένοι . . . *Philos. - Prooem. pag.* 3. Conf. IREN. - *Adv. haer. IV*, 17.

2 *Philos. - IX*, 12 coll. Auct. *in Novatian.*; CYPR. - *Epp.* XLIX, LII; CORN. - *Ep. XLVIII inter cyprianic.*

indicia Tertullianum excludentia cum reliquis in concordiam non adducantur, nullum inde obicem sententiae huic nostrae, at contra momenti aliquid obvenire putaverim. Constat enim, Novatianum Tertulliani vestigiis ingressum geminas fere progressiones ac simillimum exitum habuisse. Sive porro utriusque ingenium, sive doctrinae ac praeceptiones, sive ad romanam ecclesiam habitudo spectetur, maximam alterius cum altero congruentiam fuisse nemo negaverit. Quid mirum igitur, si Novatianus in similibus adiunctis constitutus, iisdem usus doctrinae praesidiis, in eandem lapsus haeresim, planeque geminam nactus indolem ea scripserit, quae a Tertulliano, paucis exceptis, scribi potuissent? — Hanc ego Novatiani cognationem cum Tertulliano, ne actum agam, non demonstrabo. Superius enim instituta utriusque comparatio cum auctore *Philosophumenon* summam utriusque similitudinem ostendit. Quo tamen res clarior fiat, unum praeterea notare intererit: Novatianum scilicet adeo presse Tertulliani vestigiis institisse, ut quae prius ille tractaverat argumenta, interdum ipse retractaret. Constat id ex operum inscriptionibus utrique communibus ac nominatim e Novatiani libro *De Trinitate*, qui nihil aliud quam tertullianeaè doctrinae summam praefert [1]. — Atque haec Tertulliani ac Novatiani consensio forte obversabatur Ambrosio, dum is coniunctam utriusque mentionem faciens haec scriberet: *Tertullianus et Novatianus non parvae scientiae fuerunt; sed quia, per zelum, caritatis foedera perdiderunt, in schisma versi ad perditionem sui haereses creaverunt* [2]. At expressius multo id notavit Pacianus his verbis alloquens Novatiani sectatores: *Tertullianus post haeresim vester est: nam inde multa sumpsistis* [3]. — Igitur quaè Tertullianum inter atque auctorem huius operis est notata coniunctio, ea sententiam de Novatiano *Philosophumenon* auctore non modo non infirmat, sed, ratione habita exceptionum Tertulliano adversantium, egregie confirmat.

1 Conf. Hieron. - *De scriptt. eccl. LXX.*
2 Ambros. - *In I. Cor. XIII.*
3 Pacian. - *Ad Sympronian. ep. III*

CAPUT XXXVIII.

Epilogus anteactae disceptationis.

Interest iam tractationem universam per summa capita repetitam perstringere ita, ut eam quisque uno propemodum intuitu complecti possit.

Etsi operis aetas cum aetate Origenis congruat, cuius nomen huic operi praefixum est; scriptoris tamen indoles, arrogata summi sacerdotii dignitas, inita confutationis ratio, quaedam etiam opiniones, denique vel ipsa graecitas hanc Origeni lucubrationem adiudicari non sinunt.

Quae Caium indicare videntur huius operis auctorem, ea nulla sunt, si conferantur cum iis, quae de Caii doctrina gestisque novimus, quaeque ad auctorem *Philosophumenon* trasferri nullo pacto possunt. Unde liquet, huius operis auctorem ab invicto illo Procli montanistae expugnatore plane alium fuisse.

Quum auctor huius refutationis non in secreto quopiam orbis angulo inconspicuus latuerit, sed in meridiana luce atque intra ipsam romanam ecclesiam publicus odiorum incentor schismaticaeque factionis ductor exstiterit, sententiam de Hippolyto *Philosophumenon* auctore plane refellunt (ut missa faciam interiora indicia) tum effusa in eum Ecclesiae doctorem christianae vetustatis ellogia tum veterum de Hippolyto seditionis concitatore silentium.

Ad Tertullianum quod attinet, scriptorem qui se dissimulare inter scribendum nec volens potuisset, demonstratio quavis exceptione maior merito postulatur. Plura quidem afri illius vestigia designare licet huic volumini impressa, sed ea non adeo Tertulliani propria ut alteri congruere non possint. Ex adverso stilus auctoris nequaquam talis apparet, qualis profecto exspectandus erat, ut omnino atque unice Tertulliano conveniret. Ad haec vetustiorum operum mentio praetermissa in hoc volumine, quod uti eorundem epilogus vel retractatio spectandum esset, aegre cum

Tertulliani more componitur. Denique abrupta illa Montanistarum reprehensio, post diuturnam admodum pseudoprophetiae defensionem orienti iuxta atque occidenti notam, diviso licet a Montanistis Tertulliano adscribi vix potest.

Quem igitur *Philosophumenon* auctorem dicemus? Is profecto vir fuit apprime insignis, qui medio seculo tertio inter ecclesiasticos scriptores eminebat, qui Romae diu vixit, qui summum sibi sacerdotium arrogavit dum schismaticae factionis caput esset, qui proinde inter ecclesiasticos scriptores a veteribus commemoratos quaerendus est. At, secluso Tertulliano, non alius nominari potest eiusmodi scriptor quam studiosissimus ille Tertulliani imitator idemque primus pseudopontifex Novatianus. Igitur si ea sibi cohaerent, quae superius de Tertulliano disseruimus, concludendum est, auctorem huius operis ipsum esse Novatianum. — Sed satis multa iam de scriptore huius refutationis: pauciora nunc de historica scriptoris fide, quae post absolutam modo disceptationem longe facilius cognosci atque aequius aestimari poterit.

CAPUT XXXIX.

Historica scriptoris fides multiplici nomine alicubi suspecta est, longe secus quam heterodoxi quidam per summam iniuriam voluerunt.

Eruditio sane multiplex, qua scriptor *Philosophumenon* excellit, tempus, quo idem floruit, ante iacturam scilicet plurium operum subsecutis cladibus debitam, locus denique, in quo scripsit, doctorum hominum praesentia frequentique commeatu illustris, haec simul omnia non minimam scientiae laudem viro isti conciliant. Sed alia scientiae, alia probitatis aequitatisque ratio est. Perspecta porro scriptoris durities, quam is in opinionum delectu sequitur ducem, necnon initum ab eo consilium repetendi haereses omnes e media ethnicorum philosophia satis demonstrat quam caute ac parce huic homini commodanda sit fides, praesertim ubi

de controversiis agitur quibus ipse fuerat implicitus. Ut enim vereri licet, no quaedam haereticorum placita ob anteceptum scriptoris consilium non fidissimo referantur, ita necesse est timeamus ne iniquum se iudicem praestet earum controversiarum quarum pars ipse fuit. Quid? quod in his referendis ipsa scribendi ratio obtrectatorem magis prodit, quam testem, eundemque eiusmodi ut publicas etiam inimici laudes in occasionem calumniae vertat? Non uno igitur nomine historica scriptoris fides vocari in dubium potest ac debet. Unde consequens est, ex hac haereseon refutatione citra periculum erroris ea quidem posse recipi, quae auctor contra se fateri coactus est, quaeve ut confingeret, nullam habuit causam; cetera vero perpendenda sic esse ut ea solum probentur quae tum secum ipsa cohaerent tum aliis certae fidei testimoniis consentanea sunt. Qua in re nonnulli ex acatholicis, ut Bunsenius et Wordsworthus, ita peccarunt, ut non modo criticarum legum, sed ipsius etiam aequitatis obliti viderentur. Cuius enim aequitatis fuit, ut unius accusatoris testimonio fidem adiungerent, quem a sui temporis aequalibus vel inauditum vel certe cum contemptu exceptum suspicari debuissent? Novi equidem, Hippolyti nomen praetextum ab iis fuisse, quo fidem huic scripto conciliarent. At primo, quodnam nomen tanti esse potuit, ut plenum fastus ac livoris testimonium ab homine schismatico in catholicos dictum confirmaret? Deinde, quum probe nossent, Hippolyti iuxta et Callisti memorias iampridem fuisse in fastis Ecclesiae consecratas, de sua potius coniectura diffidere, quam Hippolytum sacrae perduellionis reum facere ac dicacissimo in Callistum libello fidem habere debuissent. Nos certe haud magis de catholicae ecclesiae laudibus per huius operis editionem detractum putabimus, quam si Tertulliani opuscula *De ieiuniis* ac *De pudicitia* vel Novatiani scripta catholicis contumeliosa nunc primum ederentur. Ceterum, his generatim animadversis, praestat iam scriptorem ipsum de Callisto obloquentem audire, ut de singulis criminationibus deinceps ex ordine iudicetur.

CAPUT XL.

Auctoris in Callistum pont. delatio.

« Facto itaque (*inquit*) a nobis magno certamine circa omnes haereses, nullaque re citra reprehensionem praetermissa, superest nunc maximum certamen : enarratas dare ac revictas haereses contra nos excitatas, per quas inscientes quidam atque audaces dissipare conati sunt Ecclesiam, maximam perturbationem inter omnes fideles per universum orbem immittentes. Visum est enim nobis, in sententiam quae fuit malorum principium impetu facto, detecta dare eius initia, ut enatae inde stirpes despiciantur, quum probe fuerint universis perspectae.

Exstitit quidam nomine Noëtus, genere smyrnaeus. Hic duxit haeresim ex Heracliti dogmatis. Eius minister ac discipulus fit quidam nomine Epigonus, qui peregre Romam adveniens sevit impiam doctrinam. A quo institutus Cleomenes, et vita et moribus ab Ecclesia alienus, dogma confirmavit, quum per id temporis Ecclesiam regi a seipso putaret Zephyrinus, homo idiotes turpisque

---

Πολλοῦ τοίνυν τοῦ περὶ πασῶν αἱρέσεων γενομένου ἡμῖν ἀγῶνος, μηθέν τι ἀνεξέλεγκτον καταλιποῦσι, περιλείπεται νῦν ὁ μέγιστος ἀγὼν, ἐκδιηγήσασθαι καὶ διελέγξαι τὰς ἐφ' ἡμῖν ἐπαναστάσας αἱρέσεις, δι' ὧν τινὲς ἀμαθεῖς καὶ τολμηροὶ διασκεδαννύειν ἐπεχείρησαν τὴν Ἐκκλησίαν, μέγιστον τάραχον κατὰ πάντα τὸν κόσμον ἐν πᾶσι τοῖς πιστοῖς ἐμβάλλοντες. Δοκεῖ γὰρ ἐπὶ τὴν ἀρχηγὸν τῶν κακῶν γενομένην γνώμην ὁρμήσαντας διελέγξαι τίνες αἱ ταύτης ἀρχαί, ὅπως εὔγνωστοι αἱ ἐκφυάδες αὐτῆς ἅπασι γενόμεναι καταφρονηθῶσι.

Γεγένηταί τις ὀνόματι Νοητὸς, τῷ γένει σμυρναῖος. Οὗτος εἰσηγήσατο αἵρεσιν ἐκ τῶν Ἡρακλείτου δογμάτων, οὗ διάκονος καὶ μαθητὴς γίνεται Ἐπίγονός τις τοὔνομα, ὃς τῇ Ῥώμῃ ἐπιδημήσας ἐπέσπειρε τὴν ἄθεον γνώμην. Ὧι μαθητεύσας Κλεομένης καὶ βίῳ καὶ τρόπῳ ἀλλότριος τῆς Ἐκκλησίας, ἐκράτυνε τὸ δόγμα, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ Ζεφυρίνου διέπειν νομίζοντος τὴν ἐκκλησίαν, ἀνδρὸς ἰδιώτου καὶ αἰσχροκερδοῦς · [ὃς] τῷ κέρδει

lucri appetens, qui quaestu oblato adductus permittebat accedentibus ut a Cleomene instituerentur, et ipse attractus decursu temporis in haec ipsa proruit, auctore atque adiutore malorum Callisto, cuius vitam, nec non excogitatam ab ipso haeresim, post haud multum exponam. Horum schola per successionem permansit confirmata et aucta propterea quod ipsos adiuvarent Zephyrinus atque Callistus, quamquam nos nunquam cesserimus, at crebro adversus ipsos restiterimus eosque refutaverimus et invitos coegerimus fateri veritatem. Qui ad tempus quidem pudefacti coactique a veritate fatebantur, verum non multo post in idem coenum revolvebantur. « *Heic auctor fuse admodum exponit Heracliti doctrinam. Tum Noëti haeresim cum ea componens ita pergit:* » Manifestum vero est omnibus, insipientes Noëti successores huiusque haereseos defensores, etsi dicant, Heracliti se non fuisse auditores, attamen Noëti placita accipiendo perspicue idipsum

---

προσφερομένῳ πειθόμενος, συνεχώρει τοῖς προσιοῦσι τῷ Κλεομένει μαθητεύεσθαι καὶ αὐτὸς ὑποσυρόμενος τῷ χρόνῳ ἐπὶ τὰ αὐτὰ ὥρμητο, συμβούλου καὶ συναγωνιστοῦ τῶν κακῶν ὄντος αὐτῷ Καλλίστου, οὗ τὸν βίον καὶ τὴν ἐφευρεθεῖσαν αἵρεσιν μετ' οὐ πολὺ ἐκθήσομαι. Τούτων κατὰ διαδοχὴν διέμεινε τὸ διδασκαλεῖον κρατυνόμενον καὶ ἐπαῦξον διὰ τὸ συναιρεῖσθαι αὐτοῖς τὸν Ζεφυρῖνον καὶ τὸν Κάλλιστον, καίτοι ἡμῶν μηδέποτε συγχωρησάντων, ἀλλὰ πλειστάκις ἀντικαθεστώτων πρὸς αὐτοὺς, καὶ διελεγξάντων, καὶ ἄκοντας βιασαμένων τὴν ἀλήθειαν ὁμολογεῖν · οἳ πρὸς μὲν ὥραν αἰδούμενοι, καὶ ὑπὸ τῆς ἀληθείας συναγόμενοι ὡμολόγουν, μετ' οὐ πολὺ δὲ ἐπὶ τὸν αὐτὸν βόρβορον ἀνεκυλίοντο. (*Philos.*- *IX*, 6. 7. *pag.* 278).

Φανερὸν δὲ πᾶσι τοὺς νοητοὺς 1 Νοητοῦ διαδόχους καὶ τῆς αἱρέσεως προστάτας, εἰ καὶ Ἡρακλείτου λέγοιεν ἑαυτοὺς μὴ γεγονέναι ἀκροατὰς, ἀλλά γε τὰ Νοητῷ δόξαντα αἱρουμένους, ἀναφανδὸν ταῦτα ὁμολογεῖν.

1 Malim legere ἀνοήτους, quo apposito Noëtiani argute perstringuntur ut qui *neque intelligerent neque intelligerentur*, etsi magistrum iactarent nomine Νοητὸν *intelligibilem*. In eandem sententiam Philastrius, absente licet paronomasia quae latine reddi non poterat, Noëtianos dixit *insensatos*.

fateri. Sic enim aiunt: unum eundemque Deum esse omnium conditorem et patrem, cui, licet invisibili, placuerit apparere iustis qui olim fuerunt. Nam quando non adspicitur est invisibilis; [quando autem ei placeat apparere, visibilis;] incomprehensibilis quando minime comprehendi vult, comprehensibilis vero quando comprehenditur. Ita eadem ratione incircumscriptus, infectus, immortalis, et mortalis. Quomodo qui tales sunt, non Heracliti evincentur discipuli? Nonne prior, iisdem usus verbis, philosophatus est Tenebrosus ille? Quod vero is dicat etiam, filium esse eundem ac patrem, nemo ignorat. Sic porro loquitur: *Quando igitur genitus non erat pater, merito pater audiebat: quando autem ei visum est nativitatem subire, natus exstitit filius ipse suipsius, non alterius.* Sic enim videtur monarchiam constituere affirmans, unum et idem esse quod appellatur pater ac filius, non alterum ex altero, sed ipsum de seipso, nomine tenus patrem ac filium nuncupatum pro temporum discrimine, re tamen ipsa unum hunc esse qui apparuit ac nativitatem ex virgine subiit, atque homo inter homines versa-

Λέγουσι γὰρ οὕτως· ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν θεὸν εἶναι πάντων δημιουργὸν καὶ πατέρα, εὐδοκήσαντα δὲ πεφηνέναι τοῖς ἀρχῆθεν δικαίοις ὄντα ἀόρατον. Ὅτε μὲν γὰρ οὐχ ὁρᾶται ἦν ἀόρατος [1], ἀχώρητος δὲ ὅτε μὴ χωρεῖσθαι θέλει, χωρητὸς δὲ ὅτε χωρεῖται. Οὕτως κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἀκράτητος, ἀγένητος, ἀθάνατος, καὶ θνητός. Πῶς οὐχ Ἡρακλείτου οἱ τοιοῦτοι δειχθήσονται μαθηταί; μὴ αὐτῇ τῇ λέξει διαφθάσας ἐφιλοσόφησεν ὁ Σκοτεινός; Ὅτι δὲ καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν εἶναι λέγει καὶ πατέρα οὐδεὶς ἀγνοεῖ. Λέγει δὲ οὕτως· ὅτε μὲν οὖν μὴ γεγένητο ὁ πατὴρ, δικαίως πατὴρ προσηγόρευτο. Ὅτε δὲ ηὐδόκησεν γένεσιν ὑπομεῖναι, γεννηθεὶς ὁ υἱὸς ἐγένετο αὐτὸς ἑαυτοῦ, οὐχ ἑτέρου. Οὕτως γὰρ δοκεῖ μοναρχίαν συνιστᾶν, ἓν καὶ τὸ αὐτὸ φάσκων ὑπάρχειν πατέρα καὶ υἱὸν καλούμενον, οὐχ ἕτερον ἐξ ἑτέρου, ἀλλ' αὐτὸν ἐξ ἑαυτοῦ, ὀνόματι μὲν πατέρα καὶ υἱὸν καλούμενον κατὰ χρόνων τροπὴν, ἕνα δὲ εἶναι τοῦτον τὸν φανέντα, καὶ γένεσιν ἐκ παρθένου ὑπομείναντα, καὶ ἐν ἀνθρώποις ἄνθρωπον ἀναστραφέντα,

1 Suspicor heic aliquid intercidisse quod fere huiusmodi fuerit: ὅτε δὲ ὁρᾶται ὁρατὸς· ἀχώρητος μὲν κ. τ. λ vel ὅτε δὲ φαίνεσθαι εὐδοκεῖ ὁρατὸς, ἀχώρητος μὲν κ. τ. λ. nisi forte auctoris negligentiae hiatus hic debeatur.

tus est, filium se spectantibus praedicans propter praeteritam nativitatem, quum tamen sit pater idque comprehendentibus non occultet. Hunc affixum passioni crucis, quique sibi ipse spiritum tradidit, mortuum et non mortuum, quique seipsum tertio die suscitavit, in monumento sepultum et lancea perfossum et clavis defixum, hunc universorum Deum et Patrem esse dicit Cleomenes eiusque chorus qui heracliteas tenebras offundunt multis.

Hanc haeresim roborabat Callistus, vir in malitia callidus ac versutus ad fraudem, sibi aucupans thronum episcopalem. Zephyrinum, hominem rudem et illitteratum atque imperitum legum ecclesiasticarum (quem donis flectens ac vetitis exactionibus ducebat quo volebat, munerum quippe susceptorem atque avarum) inducebat ad immittendas semper discordias inter fratres; quum ipse utramque partem deinceps adulatoriis sermonibus ad suam amicitiam pertraheret. Atque iis qui pro veritate sentiebant, pri-

υἱὸν μὲν ἑαυτὸν τοῖς ὁρῶσιν ὁμολογοῦντα διὰ τὴν γενομένην γένεσιν, πατέρα δὲ εἶναι καὶ τοῖς χωροῦσιν μὴ αποκρύψαντα. Τοῦτον πάθει ξύλου προσπαγέντα καὶ ἑαυτῷ τὸ πνεῦμα παραδόντα, ἀποθανόντα καὶ μὴ ἀποθανόντα, καὶ ἑαυτὸν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσαντα, τὸν ἐν μνημείῳ ταφέντα καὶ λόγχῃ τρωθέντα, καὶ ἥλοις καταπαγέντα, τοῦτον τὸν τῶν ὅλων θεὸν, καὶ πατέρα εἶναι λέγει Κλεομένης καὶ ὁ τούτου χορὸς Ἡρακλείτειον σκότος ἐπεισάγοντες πολλοῖς.

Ταύτην τὴν αἵρεσιν ἐκράτυνε Κάλλιστος, ἀνὴρ ἐν κακίᾳ πανοῦργος καὶ ποικίλος πρὸς πλάνην, θηρώμενος τὸν τῆς ἐπισκοπῆς θρόνον. Τὸν Ζεφυρῖνον, ἄνδρα ἰδιώτην καὶ ἀγράμματον καὶ ἄπειρον τῶν ἐκκλησιαστικῶν ὅρων (ὃν πείθων δόγμασι 1 καὶ ἀπαιτήσεσιν ἀπειρημέναις ἦγεν [εἰς] ὃ ἐβούλετο, ὄντα δωρολήπτην καὶ φιλάργυρον) ἔπειθεν ἀεὶ στάσεις ἐμβαλεῖν ἀναμέσον τῶν ἀδελφῶν, αὐτὸς τὰ ἀμφότερα μέρη ὕστερον κερκωπ[εί]οις λόγοις πρὸς ἑαυτοῦ φιλίαν κατασκευάζων, καὶ τοῖς μὲν ἀλήθειαν λέγων ὅμοια φρονοῦσι ποτὲ καθ' ἡδίαν 2 τὰ ὅμοια φρονεῖν ἠπάτα· πάλιν

1 Ex contextu patet scribendum esse δόμασι *donis*.

2 Recte Millerus emendavit κατ' ἰδίαν *privatim*. Egregie Cruicius composuit in hunc modum reliqua a librario perturbata: Καὶ τοῖς μὲν ἀλήθειαν φρονοῦσι ποτὲ κατ' ἰδίαν λέγων τὰ ὅμοια φρονεῖν ἠπάτα· πάλιν δ' αὖ τοῖς τὰ Σαβελλίου ὁμοίως. Rursum bene Millerus legit δυνάμενος pro δυνάμενον.

vatim quandoque dicens, se idem sentire, eos decipiebat; vicissim vero similiter iis, qui iuxta Sabellium, quem tamen ipsum eiecit, quum posset emendare. Nam dum a nobis admonebatur, non obdurescebat; quando autem cum Callisto solus erat, ab ipso inclinabatur in doctrinam Cleomenis, qui dicebat se similia sentire. At ille ipsius vafritiem tunc minime intelligebat; novit autem deinceps, uti narrabo post haud multum. Ipsum porro Zephyrinum producens in publicum impellebat ut diceret: *Ego novi unum Deum Christum Iesum, et, praeter ipsum, alium nullum genitum ac passum.* Aliquando vero dicens, *Non Pater mortuus est, sed Filius*, ita indesinentem discordiam in populo servavit. Cuius cogitationibus cognitis nos minime assentiebamur, confutantes atque obsistentes pro veritate. At ille in arrogantiam progressus quod omnes cum ipsius hypocrisi consentirent, nos vero non, appellabat nos ditheos, evomens violenter virus in ipso latens. Huius vitam exponere, quoniam nobis coaevus fuit, videtur nobis expetendum, ut per manifestationem conversationis viri

---

δ' αὐτοῖς τὰ Σαβελλίου ὁμοίως, ὃν καὶ αὐτὸν ἐξέστησε δυνάμενον κατορθοῦν. Ἐν γὰρ τῷ ὑφ' ἡμῶν παραινεῖσθαι οὐκ ἐσκληρύνετο· ἡνίκα δὲ σὺν τῷ Καλλίστῳ ἐμόναζεν, ὑπ' αὐτοῦ ἀνεσείετο πρὸς τὸ δόγμα τὸ Κλεομένους ῥέπειν φάσκοντος τὰ ὅμοια φρονεῖν. Ὁ δὲ τότε μὲν τὴν πανουργίαν αὐτοῦ οὐκ ἐνόει, αὖθις δὲ ἔγνω, ὡς διηγήσομαι μετ' οὐ πολύ. Αὐτὸν δὲ τὸν Ζεφυρῖνον προάγων δημοσίᾳ ἔπειθε λέγειν· Ἐγὼ οἶδα ἕνα θεὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, καὶ πλὴν αὐτοῦ ἕτερον οὐδένα γενητὸν καὶ παθητόν. Ποτὲ δὲ λέγων· Οὐχ ὁ πατὴρ ἀπέθανεν, ἀλλὰ ὁ υἱός, οὕτως ἄπαυστον τὴν στάσιν ἐν τῷ λαῷ διετήρησεν· οὗ τὰ νοήματα γνόντες ἡμεῖς οὐ συνεχωροῦμεν, ἐλέγχοντες καὶ ἀντικαθιστάμενοι ὑπὲρ τῆς ἀληθείας· ὃς εἰς ἀπόνοιαν χωρῶν διὰ τὸ πάντας αὐτοῦ τῇ ὑποκρίσει συντρέχειν, ἡμᾶς δὲ οὔ, ἀπεκάλει ἡμᾶς διθέους, ἐξεμῶν παρὰ βίαν τὸν ἐνδομυχοῦντα αὐτῷ ἰόν. Τούτου τὸν βίον δοκεῖ ἡμῖν ἀγαπητὸν ἐκθέσθαι, ἐπεὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἡμῖν ἐγεγόνει, ὅπως διὰ τοῦ φανῆναι τοῦ τοιούτου τὴν ἀναστροφήν, εὐεπίγνωστος

huiusmodi fortasse vel statim intelligentibus innotescat ea quae ab isto suscepta est haeresis.

Hic fidem confessus est sub Fusciano praefecto Urbis. Modus autem confessionis hic fuit. Famulus erat Carpophori cuiusdam fidelis ex domo Caesaris. Ei Carpophorus, nimirum ut fideli, sortem non exiguam commisit denuntians ut quaestum afferret ex negotiatione mensaria. Qui, mensa accepta, aggressus est opus in loco cui nomen *Piscinae Publicae*. Ei non parva deposita processu temporis concredita sunt a viduis et fratribus caussa Carpophori. Sed quum omnia ipse delesset, quid consilii caperet, nesciebat. Quae quum ipse commisisset, non defuit qui nuntiaret Carpophoro. Hic autem dixit, se petere rationes ab ipso. Hisce compertis, Callistus imminens ab hero periculum suspicans excessit capiens fugam ad mare. Reperto autem ad Portum navigio parato ad solvendum, quo illud cumque navigaret, con-

---

καὶ [τάχ' ἂν] 1 τοῖς νοῦν ἔχουσιν εὐθὺς γένηται ἡ διὰ τούτου ἐπικεχειρημένη αἵρεσις.

Οὗτος ἐμαρτύρησεν ἐπὶ Φουσκιανοῦ ἐπάρχου ὄντος Ῥώμης · ὁ δὲ τρόπος τῆς αὐτοῦ μαρτυρίας τοιόσδε ἦν. Οἰκέτης ἐτύγχανε Καρποφόρου τινὸς ἀνδρὸς πιστοῦ ὄντος ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας. Τούτῳ ὁ Καρποφόρος, ἅτε δὴ ὡς πιστῷ, χρῆμα οὐκ ὀλίγον κατεπίστευσεν, ἐπαγγειλάμενος κέρδος προσοίσειν ἐκ πραγματείας τραπεζιτικῆς · ὃς λαβὼν τράπεζαν ἐπεχείρησεν ἐν τῇ λεγομένῃ Πισκινῇ πουπλικῇ, ᾧ οὐκ ὀλίγαι παραθῆκαι τῷ χρόνῳ ἐπιστεύθησαν ὑπὸ χηρῶν καὶ ἀδελφῶν προσχήματι τοῦ Καρποφόρου. Ὁ δὲ ἐξαφανίσας τὰ πάντα ἠπόρει 2. Οὗ ταῦτα πράξαντος, οὐκ ἔλιπεν ὃς ἀπαγγείλῃ τῷ Καρποφόρῳ · ὁ δὲ ἔφη ἀπαιτεῖν λόγους παρ' αὐτοῦ. Ταῦτα συνιδὼν ὁ Κάλλιστος καὶ τὸν παρὰ τοῦ δεσπότου κίνδυνον ὑφορώμενος ἀπέδρα τὴν φυγὴν κατὰ θάλασσαν ποιούμενος · ὃς εὑρὼν πλοῖον ἐν τῷ Πόρτῳ ἕτοιμον πρὸς ἀναγωγήν, ὅπου ἐτύγχανε πλέον, ἀνέβη πλευσό-

1 Codex habet ταχεῖα, quod heic nihil significat.

2 Conlatis similibus Iraenei vocabulis, iuxta veterem Irenaei interpretem haec ita reddi possent : *Ille vero quum omnia exterminasset, consternatus iacebat.*

scendit navigaturus. Sed ne ita quidem latere potuit: non enim defuit qui nuntiaret factum Carpophoro. Atque hic e vestigio superveniens ad portum tentabat in navim irrumpere iuxta indicata. Haec stabat in medio portu: dum vero portitor cunctatur, eminus dominum conspicatus Callistus, qui erat in navi et norat se comprehensum, vitae non pepercit redactumque se ad extremum ratus proiecit seipsum in mare. At nautae desilientes in scaphas eundem invitum e mari sustulerunt. Iis vero qui aderant e terra valde clamantibus, simul hic, domino traditus, reductus est Romam. Eum dominus in pistrinum detrusit. Verum temporis progressu, ut fieri contingit, advenientes fratres precabantur Carpophorum ut liberaret poena fugitivum, aientes ipsum fateri, se habere apud quosdam pecuniam repositam. Carpophorus autem, uti religiosus, quod suum erat, aiebat, so parvi pendere, at deposita sibi curae esse. Multi enim cum ipso conquerebantur dicentes, se ob ipsius nomen credidisse Callisto quae crediderant. Attamen persuasus

---

μενος. Ἀλλ' οὐδὲ οὕτως λαθεῖν δεδύνηται · οὐ γὰρ ἔλιπεν ὃς ἀπαγγείλῃ τῷ Καρποφόρῳ τὸ γεγενημένον. Ὁ δὲ ἐπιστὰς κατὰ τὸν λιμένα, ἐπειρᾶτο ἐπὶ τὸ πλοῖον ὁρμᾷν κατὰ μεμηνυμένα. Τοῦτο δὲ ἦν ἑστὸς ἐν μέσῳ τῷ λιμένι, τοῦ δὲ πορθμέως βραδύνοντος, ἰδὼν πόῤῥωθεν ὁ Κάλλιστος τὸν δεσπότην, ὢν ἐν τῷ πλοίῳ καὶ γνοὺς ἑαυτὸν συνηλεῖφθαι 1, ἠφείδησε τοῦ ζῆν καὶ ἔσχατα ταῦτα λογισάμενος ἔῤῥιψεν ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν. Οἱ δὲ ναῦται καταπηδήσαντες εἰς τὰ σκάφη ἄκοντα αὐτὸν ἀνείλοντο. Τῶν δὲ ἀπὸ τῆς γῆς μεγάλα βοώντων, καὶ οὕτος τῷ δεσπότῃ παραδοθεὶς ἐπανήχθη εἰς τὴν Ῥώμην · ὃν ὁ δεσπότης εἰς πίστρινον κατέθετο. Χρόνου δὲ διελθόντος, ὡς συμβαίνει γίνεσθαι, προσελθόντες ἀδελφοὶ παρεκάλουν τὸν Καρποφόρον ὅπως ἐξαγάγῃ τῆς κολάσεως τὸν δραπέτην, φάσκοντες αὐτὸν ὁμολογεῖν ἔχειν παρά τισι χρῆμα ἀποκείμενον. Ὁ δὲ Καρποφόρος, ὡς εὐλαβής, τοῦ μὲν ἰδίου ἔλεγεν ἀφειδεῖν, τῶν δὲ παραθηκῶν φροντίζειν · πολλοὶ γὰρ αὐτῷ ἀπεκλαίοντο λέγοντες, ὅτι τῷ αὐτοῦ προσχήματι ἐπίστευσαν τῷ Καλλίστῳ ἃ πεπιστεύκεισαν · καὶ πεισθεὶς ἐκέλευσεν ἐξαγαγεῖν αὐτόν.

1 Mendum pro συνειλῆφθαι.

iussit ipsum educi. Hic autem quum nihil haberet quod redderet, neque posset iterum aufugere quia custodiebatur, obeundae mortis artem excogitavit: ac sabbato fingens abire se tamquam ad debitores, irrupit in synagogam Iudaeorum congregatorum et stans contra ipsos, tumultum faciebat. Hi vero disturbati ab ipso, contumeliis affectum plagisque contusum traxerunt ipsum ad Fuscianum praefectum Urbis. Haec autem arguerunt: *Romani concesserunt nobis ut patrias leges publice legeremus: hic autem ingressus prohibebat, excitans contra nos turbas, se dicens esse christianum.* Porro quum Fuscianus forte tunc sederet pro tribunali, quumque indignaretur ad ea quae ab Iudaeis dicebantur contra Callistum, non defuit qui renuntiavit Carpophoro quae agebantur. Hic vero properans ad tribunal praefecti clamabat: *Oro te, domine Fusciane; ne tu ipsi crede; non enim est christianus, sed occasionem quaerit moriendi, quoniam pecunias meas magnas dissipavit, uti demonstrabo.* Iudaei contra existimantes id esse fraudem, tamquam si quaereret Carpophorus hoc praetextu ipsum eripere,

Ὁ δὲ μηδὲν ἔχων ἀποδιδόναι, καὶ πάλιν ἀποδιδράσκειν μὴ δυνάμενος διὰ τὸ φρουρεῖσθαι, τέχνην θανάτου ἐπενόησε· καὶ σαββάτῳ σκηψάμενος ἀπιέναι ὡς ἐπὶ χρεώστας, ὥρμησεν ἐπὶ τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων συνηγμένων, καὶ στὰς κατεστασίαζεν αὐτῶν. Οἱ δὲ καταστασιασθέντες ὑπ' αὐτοῦ, ἐνυβρίσαντες αὐτὸν καὶ πληγὰς ἐμφορήσαντες, ἔσυρον ἐπὶ τὸν Φουσκιανὸν ἔπαρχον ὄντα τῆς πόλεως. Ἀπεκρίναντο 1 δὲ τάδε· Ῥωμαῖοι συνεχώρησαν ἡμῖν τοὺς πατρῴους νόμους δημοσίᾳ ἀναγινώσκειν· οὗτος δὲ ἐπεισελθὼν ἐκώλυε καταστασιάζων ἡμῶν, φάσκων εἶναι χριστιανός. Τοῦ δὲ Φουσκιανοῦ πρὸ βήματος τυγχάνοντος, καὶ τοῖς ὑπ' Ἰουδαίων λεγομένοις κατὰ τοῦ Καλλίστου ἀγανακτοῦντος, οὐκ ἔλιπεν ὁ ἀπαγγείλας τῷ Καρποφόρῳ τὰ πρασσόμενα· Ὁ δὲ σπεύσας ἐπὶ τὸ βῆμα τοῦ ἐπάρχου ἐβόα· Δέομαι, κύριε Φουσκιανέ, μὴ σὺ αὐτῷ πίστευε, οὐ γάρ ἐστι χριστιανός, ἀφορμὴν δὲ ζητεῖ θανάτου χρήματά μου πολλὰ ἀφανίσας, ὡς ἀποδείξω. Τῶν δὲ Ἰουδαίων ὑποβολὴν τοῦτο νομισάντων, ὡς ζητοῦντος τοῦ Καρποφόρου ταύτῃ τῇ προφάσει ἐξελέσθαι αὐτὸν, μᾶλλον ἐπιφθόνως

1 Hoc eodem vocabulo Iustinus martyr graece reddit *arguendi* verbum in rescripto Hadriani ad Fundanum (Apol. I, 68). Heic tamen illud verbum potest etiam verti pro recepto passim usu: *Haec autem ad sui defensionem attulerunt* vel *Haec autem dixerunt.*

eo invidiosius reclamabant praefecto. Qui permotus ab ipsis, postquam flagellasset eum, dedit in metallum Sardiniae. Postea vero, quum alii martyres ibi essent, Marcia volens bonum aliquod opus facere quod esset religiosa femina, concubina Commodi, advocato beato Victore qui per id temporis erat episcopus Ecclesiae, quaesivit quinam essent in Sardinia martyres. Hic autem, productis omnium nominibus, Callisti nomen non dedit, gnarus quaenam ille ausus fuisset. Nacta igitur Commodi existimationem Marcia dat absolutoriam epistolam Hyacintho cuidam spadoni aetate provecto, qua ille accepta navigavit in Sardiniam, eaque reddita illi qui per id temporis regionem procurabat, liberavit martyres

---

κατεβόων τοῦ ἐπάρχου · Ὁ δὲ κινηθεὶς ὑπ' αὐτῶν, μαστιγώσας αὐτὸν, ἔδωκεν εἰς μέταλλον Σαρδονίας. Μετὰ χρόνον δὲ ἑτέρων ἐκεῖ ὄντων μαρτύρων, θελήσασα ἡ Μαρκία ἔργον τι ἀγαθὸν ἐργάσασθαι, οὖσα φιλόθεος, παλλακὴ Κομόδου, προσκαλεσαμένη τον μακάριον Οὐίκτορα, ὄντα ἐπίσκοπον τῆς Ἐκκλησίας κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, ἐπηρώτα τίνες εἶεν ἐν Σαρδονίᾳ μάρτυρες. Ὁ δὲ πάντων ἀναδοὺς τὰ ὀνόματα, τὸ τοῦ Καλλίστου οὐκ ἔδωκεν, εἰδὼς τὰ τετολμημένα παρ' αὐτοῦ. Τυχοῦσα οὖν τῆς ἀξιώσεως ἡ Μαρκία παρὰ τοῦ Κομόδου, δίδωσι τὴν ἀπολυσίμην ἐπιστολὴν Ὑακίνθῳ τινὶ σπάδοντι πρεσβυτέρῳ [1], ὃς λαβὼν διέπλευσεν εἰς τὴν Σαρδονίαν, καὶ ἀποδοὺς τῷ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῆς χώρας ἐπιτροπεύοντι, ἀπέ-

1 Placuit aliis, ecclesiasticam *presbyteri* dignitatem hoc vocabulo expressam intelligere: mihi hae rationes fuerunt cur communem *senioris* notionem hoc loco praeferrem. — Primum quod sacerdotes e spadonum grege raro admodum deligebantur, numquam vero nisi hac interiecta cautione, ut iidem tales citra culpam essent, ac sacerdotio ceteroquin dignissimi invenirentur. Quam disciplinae castitatem in romana ecclesia religiose observatam nemo gratis negaverit. Nisi igitur demonstretur exceptio quoad virum heic nominatum, a communi *senioris* notione recedendum non videtur. Deinde quod scriptori non defuit ratio cur provectam Hyacinthi aetatem commemoraret, ut gestae rei narratio constaret sibi. Dicturus quippe mox erat, Hyacinthum fuisse Marciae nutricium eoque nomine Callisti liberationem impetrasse; quod profecto postulabat ut is ad provectam satis aetatem vixisset.

excepto Callisto. Sed hic in genua procidens ac lacrimans supplicabat ut ipse quoque liberationis particeps fieret. Itaque exoratus Hyacinthus rogat procuratorem, dicens nutricium se esse Marciae, praestans ipse periculum. Ille autem persuasus liberavit etiam Callistum. Quum hic advenisset, Victor valde doluit quod factum fuerat; sed quia misericors erat, nihil contra molitus est. Cavens tamen exprobationem quae fiebat a multis (non enim vetera erant eius facinora) atque etiam a Carpophoro adhuc obsistente, mandat ut ipse remaneat Antii, adsignans ipsi menstruum aliquid ad alimentum. Post huius (*Victoris*) dormitionem Zephyrinus ipsum, quem adiutorem habuerat in ordinatione cleri, honoravit suo malo, atque Antio revocatum coemeterio praefecit. Qui cum eo adsidue conversans, atque (ut in antecessum praefatus sum) hypocrisi ipsum demerens eundem plane seposuit, quippe neque habilem ad iudicandum de iis quae dicebantur, neque in-

---

λυσε τοὺς μάρτυρας, πλὴν τοῦ Καλλίστου. Ὁ δὲ γονυπετῶν καὶ δακρύων ἱκέτευε καὶ αὐτὸς τυχεῖν απολύσεως. Δυσωπηθεὶς οὖν ὁ Ὑάκινθος ἀξιοῖ τὸν ἐπίτροπον φάσκων θρέψας εἶναι Μαρκίας, τασσόμενος αὐτῷ τὸ ἀκίνδυνον. Ὁ δὲ πεισθεὶς ἀπέλυσε καὶ τὸν Κάλλιστον· οὗ παραγενομένου ὁ Οὐίκτωρ πάνυ ἤχθετο ἐπὶ τῷ γεγονότι· ἀλλ' ἐπεὶ εὔσπλαγχνος ἦν, ἡσύχαζε· φυλασσόμενος δὲ τὸ ὑπὸ πολλῶν ὄνειδος (οὐ γὰρ ἦν μακρὰν τὰ ὑπ' αὐτοῦ τετολμημένα), ἔτι δὲ καὶ τοῦ Καρποφόρου ἀντιπίπτοντος, πέμπει αὐτὸν καταμένειν ἐν Ἀνθείῳ, ὁρίσας αὐτῷ μηνιαῖόν τι ἐκτροφάς 1· μεθ' οὗ κοίμησιν Ζεφυρῖνος συναράμενον αὐτὸν σχὼν πρὸς τὴν κατάστασιν τοῦ κλήρου ἐτίμησε τῷ ἰδίῳ κακῷ, καὶ τοῦτον μεταγαγὼν ἀπὸ τοῦ Ἀνθείου εἰς τὸ κοιμητήριον κατέστησεν. Ὧι ἀεὶ συνὼν καὶ καθὼς φθάσας προεῖπον ὑποκρίσει αὐτὸν θεραπεύων ἐξεφάνισε 2 μήτε κρῖναι τὰ λεγόμενα δυνάμενον μήτε νοοῦντα τὴν τοῦ Καλλίστου ἐπιβουλήν, πάντα

1 Erratum pro ἐς τροφάς, ut notavit Millerus.

2 Scribendum videtur ἐξηφάνισε quod significat eo redactum fuisse Zephyrinum, ut nihil ipse ageret, omnia Callistus: quamquam auctor alias ex Irenaeo (Philos. VI, LI p. 202 coll. Iren. I, 13 § 2) Idem vocabulum adhibeat *seducendi* sensu.

telligentem fraudes Callisti qui omnia cum ipso ad voluptatem confabulabatur. Ita post obitum Zephyrini iudicans se nactum esse quod aucupabatur, Sabellium expulit, uti non recte sentientem, veritus me ac iudicans ita se posse amoliri obiectum sibi apud ecclesias crimen, perinde quasi non heterodoxe sentiret.

Erat igitur fallax et vafer ac temporis processu abduxit multos. Habens autem inclusum in corde virus atque in praesentia nihil mente praecipiens, simul etiam erubescens vera loqui, quum publice nobis conviciando dixisset: *Dithei estis*, quumque praeterea saepius a Sabellio accusaretur violatae primae fidei, excogitavit hanc haeresim, dicens, idem Verbum esse Filium, idem et Patrem, nomine tenus aliter appellatum, quum re unum sit, spiritus nempe individuus. Non aliud esse Patrem, aliud vero Filium, sed unum et idem esse; atque omnia plena esse divino spiritu quaeque supra quaeque infra sunt; ac spiritum in Virgine incarnatum non alium esse a Patre sed unum eundemque spiritum. Hoc autem esse quod dictum est; *Non credis quod ego in Patre, et Pater in me?* Quod enim conspicuum est, id est, hominem, hoc

---

αὐτῷ πρὸς ἃ ἤδετο ὁμιλοῦντος. Οὕτω μετὰ τὴν τοῦ Ζεφυρίνου τελευτὴν νομίζων τετυχηκέναι οὗ ἐθηρᾶτο, τὸν Σαβέλλιον ἀπέωσεν ὡς μὴ φρονοῦντα ὀρθῶς, δεδοικὼς ἐμὲ καὶ νομίζων οὕτω δύνασθαι ἀποτρίψασθαι τὴν πρὸς τὰς ἐκκλησίας κατηγορίαν, ὡς μὴ ἀλλοτρίως φρονῶν.

Ἦν οὖν πανοῦργος καὶ ἐπὶ χρόνῳ συνήρπασε πολλούς. Ἔχων δὲ καὶ τὸν ἰὸν ἐγκείμενον ἐν τῇ καρδίᾳ, καὶ εὐθέως μηδὲν φρονῶν, ἅμα δὲ καὶ αἰδούμενος τὰ ἀληθῆ λέγειν, διὰ τὸ δημοσίᾳ ἡμῖν ὀνειδίζοντα εἰπεῖν· Δίθεοί ἐστέ, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ ὑπὸ τοῦ Σαβελλίου συχνῶς κατηγορεῖσθαι ὡς παραβάντα τὴν πρώτην πίστιν, ἐφεῦρεν αἵρεσιν τοιάνδε, λέγων, τὸν λόγον αὐτὸν εἶναι υἱὸν, αὐτὸν καὶ πατέρα. ὀνόματι μὲν καλούμενον, ἓν δὲ ὄν, τὸ πνεῦμα ἀδιαίρετον· οὐκ ἄλλο εἶναι πατέρα, ἄλλο δὲ υἱὸν, ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν, καὶ τὰ πάντα γέμειν τοῦ θείου πνεύματος τά τε ἄνω καὶ κάτω, καὶ εἶναι τὸ ἐν τῇ παρθένῳ σαρκωθὲν πνεῦμα οὐχ ἕτερον παρὰ τὸν πατέρα, ἀλλὰ ἓν καὶ τὸ αὐτό. Καὶ τοῦτο εἶναι τὸ εἰρημένον· Οὐ πιστεύεις ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί; Τὸ μὲν γὰρ βλεπόμενον, ὅπερ ἐστὶν

esse Filium; qui autem in Filio continetur spiritus, hunc esse Patrem. *Non enim, ait, dicam duos deos, Patrem et Filium, sed unum. Nam constitutus in ipso Pater assumptam sibi carnem deificavit, eamdem sibi uniens, ac fecit unum ut vocetur Pater et Filius, unus Deus.* Hoc autem, quum una sit persona, non posse esse duas, atque ita Patrem compassum esse cum Filio. Non enim vult dicere Patrem esse passum atque unam esse personam, [sic putans,] effugere se blasphemiam in Patrem, amens ille ac versipellis qui quaquaversus temere effutit blasphemias, tantum ne contra veritatem loqui videatur, aliquando in Sabellii placitum incidere, aliquando in Theodoti, non erubescit. Ausus talia deceptor ille constituit scholam adversus Ecclesiam ita docens, et primus ea, quae ad voluptates pertinent, hominibus concedere cogitavit dicens, omnibus ab ipso dimitti peccata. Si enim quis alterius cuiuspiam conventiculo addictus atque appellatus christianus, peccatum quodcumque admittat, aiunt: non imputatur ipsi pecca-

---

ἄνθρωπος, τοῦτο εἶναι τὸν υἱὸν, τὸ δὲ ἐν τῷ υἱῷ χωρηθὲν πνεῦμα τοῦτο εἶναι τὸν πατέρα· οὐ γὰρ, φησὶν, ἐρῶ δύο θεοὺς, πατέρα καὶ υἱὸν, ἀλλ' ἕνα. Ὁ γὰρ ἐν αὐτῷ γενόμενος πατὴρ, προσλαβόμενος τὴν σάρκα ἐθεοποίησεν ἑνώσας ἑαυτῷ, καὶ ἐποίησεν ἕν, ὡς καλεῖσθαι πατέρα καὶ υἱὸν, ἕνα θεόν· καὶ τοῦτο ἓν ὂν πρόσωπον μὴ δύνασθαι εἶναι δύο, καὶ οὕτως τὸν πατέρα συμπεπονθέναι τῷ υἱῷ· οὐ γαρ θέλει λέγειν τὸν πατέρα πεπονθέναι καὶ ἓν εἶναι πρόσωπον, [οὕτω νομίζων] ἐκφυγεῖν τὴν εἰς τὸν πατέρα βλασφημίαν ὁ ἀνόητος καὶ ποικίλος, ὁ ἄνω κάτω σχεδιάζων βλασφημίας, ἵνα μόνον [οὐ] κατὰ τῆς ἀληθείας λέγειν δοκῇ, ποτὲ μὲν εἰς τὸ Σαβελλίου δόγμα ἐμπίπτων, ποτὲ δὲ εἰς τὸ Θεοδότου οὐκ αἰδεῖται. Τοιαῦτα ὁ γόης τολμήσας, συνεστήσατο διδασκαλεῖον κατὰ τῆς Ἐκκλησίας οὕτως διδάξας, καὶ πρῶτος τὰ πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῖς ἀνθρώποις συγχωρεῖν ἐπενόησε, λέγων πᾶσιν ὑπ' αὐτοῦ ἀφίεσθαι ἁμαρτίας. Ὁ γὰρ παρ' ἑτέρῳ τινὶ συναγόμενος [1] καὶ λεγόμενος χριστιανὸς εἴ τι ἂν ἁμάρτῃ, φασὶν, οὐ λογίζεται αὐτῷ ἡ

1 Heic sermo est de *parasynagogis* seu *parasynaxibus* quas accurate describit s. Basilius atque ab haereticorum et schismaticorum sectis distinguit (Ep. can. ad Amphiloch. I, 1).

tum, si confugerit ad Callisti scholam. Cuius praescripto illecti multi conscientia (maleficiorum) stimulati [1] simulque et a multis sectis expulsi, quidam vero etiam a nobis post iudicialem sententiam eiecti ex ecclesia se ipsis adiungentes repleverunt scholam ipsius. Hic decrevit, deponi non oportere episcopum, siquid is peccet, etiam si ad mortem. Sub hoc coeperunt episcopi et presbyteri et diaconi bigami ac trigami referri in cleros. Siquis autem etiam in clero constitutus uxorem ducat, permisit ut huiusmodi homo in clero maneat, uti qui non peccaverit, hac de re dictum esse affirmans quod ab Apostolo dictum est: *Tu quis es qui iudicas alienum servum?* Sed etiam parabolam zizaniorum ad hoc dici pronunciavit: *Sinite zizania crescere cum tritico*, hoc est in Ecclesia peccantes. Verum et arcam Noë in similitudinem Ecclesiae dixit fuisse, in qua et canes et lupi et corvi et omnia munda at-

---

ἁμαρτία, εἰ προσδράμοι τῇ τοῦ Καλλίστου σχολῇ· οὗ τῷ ὅρῳ ἀρεσκόμενοι πολλοὶ συνείδησιν πεπληγότες, ἅμα τε καὶ ὑπὸ πολλῶν αἱρέσεων ἀποβληθέντες, τινὲς δὲ καὶ ἐπὶ καταγνώσει ἔκβλητοι τῆς ἐκκλησίας ὑφ' ἡμῶν γενόμενοι, προσχωρήσαντες αὐτοῖς, ἐπλήθυναν τὸ διδασκαλεῖον αὐτοῦ. Οὗτος ἐδογμάτισεν ὅπως εἰ ἐπίσκοπος ἁμάρτοι τι, εἰ καὶ πρὸς θάνατον, μὴ δεῖν κατατίθεσθαι· Ἐπὶ τούτου ἤρξαντο ἐπίσκοποι καὶ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι δίγαμοι καὶ τρίγαμοι καθίστασθαι εἰς κλήρους. Εἰ δὲ καί τις ἐν κλήρῳ ὢν γαμοίη, μένειν τὸν τοιοῦτον ἐν τῷ κλήρῳ ὡς μὴ ἡμαρτηκότα, ἐπὶ τούτῳ φάσκων εἰρῆσθαι τὸ ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου ῥηθὲν, Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; Ἀλλὰ καὶ παραβολὴν τῶν ζιζανίων πρὸς τοῦτο ἔφη λέγεσθαι· Ἄφετε τὰ ζιζάνια συναύξειν τῷ σίτῳ, τουτέστιν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοὺς ἁμαρτάνοντας. Ἀλλὰ καὶ τὴν κιβωτὸν τοῦ Νῶε εἰς ὁμοίωμα Ἐκκλησίας ἔφη γεγονέναι, ἐν ᾗ καὶ κύνες καὶ λύκοι καὶ κόρακες, καὶ πάντα τὰ καθαρὰ καὶ ἀκάθαρ-

---

1 Vel *spe deiecti* atque adeo huiusmodi *qui veniam desperassent*, eo fere sensu quo Theodotion reddidit πνεῦμα πεπληγμένον illud Prov. XVIII, 14 *spiritum despondentem* (italice, *abbattuto*).

que immunda, ita affirmans oportere esse in Ecclesia similiter: et quotquot ad hoc poterat colligere testimonia sic est interpretatus. Cuius auditores scienter addicti ipsius dogmatis permanent, illudentes et sibi et multis, quorum ad scholam concurrunt turbae. Proinde multiplicantur gloriantes de turbis propter voluptates quas non concessit Christus, quem despicientes nil prohibent quominus peccetur, affirmantes dimittere se bene affectis erga ipsum. Etenim etiam mulieribus permisit, si viro careant ac per aetatem urantur, nubere cuicunque volunt: et similiter, siquem ardeant qualemcumque praestantes dignitate feminae, quam suam dignitatem nolint deiicere. Idcirco iure nuptas habet, quemcumque sibi sumpserint tori consortem, sive servum sive liberum, ac statuit, feminam, etsi illegitime nuptam, hunc pro viro habere oportere. Inde aggredi coeperunt, quae fideles appellantur, sterilitatis gratia se circumcingere, ac manus admovere medicamentis ad conceptus abigendos, quod neque e servo velint habere filium, ne-

---

τα οὕτω φάσκων δεῖν εἶναι ἐν Ἐκκλησίᾳ ὁμοίως· καὶ ὅσα πρὸς τοῦτο δυνατὸς ἦν συνάγειν οὕτως ἡρμήνευσεν. Οὗ οἱ ἀκροαταὶ ἡσθέντες τοῖς δόγμασι διαμένουσιν ἐμπαίζοντες ἑαυτοῖς τε καὶ πολλοῖς ὧν τῷ διδασκαλείῳ συῤῥέουσιν ὄχλοι. Διὸ καὶ πληθύνονται γαυριώμενοι ἐπὶ ὄχλοις διὰ τὰς ἡδονάς, ἃς οὐ συνεχώρησεν ὁ Χριστός· οὗ καταφρονήσαντες οὐδὲν [1] ἁμαρτεῖν κωλύουσι, φάσκοντες αὐτῷ ἀφιέναι τοῖς εὐδοκοῦσι· καὶ γὰρ καὶ γυναιξὶν ἐπέτρεψεν, εἰ ἄνανδροι εἶεν καὶ ἡλικίᾳ [δὲ] καίο[ιντο, ᾧ τινι ἂν θέλουσι γαμηθῆναι· καὶ ὁμοίως εἴ τινος ἂν καίο]ιντο [αἱ] ἐν ἀξίᾳ, [ἣν] ἑαυτῶν ἀξίαν μὴ βούλοιντο καθαιρεῖν [2]. Διὰ τοῦτο νομίμως γαμηθῆναι ἔχει ἕνα ὃν ἂν αἱρήσωνται σύγκοιτον, εἴτε οἰκέτην, εἴτε ἐλεύθερον, καὶ τοῦτον κρίνειν ἀντὶ ἀνδρὸς μὴ νόμῳ γεγαμημένην. Ἔνθεν ἤρξαντο ἐπιχειρεῖν πισταὶ λεγόμεναι ἀτοκίᾳ περιδεσμεῖσθαι καὶ φαρμάκοις πρὸς τὸ τὰ συλλαμβανόμενα καταβάλλειν, διὰ τὸ μήτε ἐκ δούλου βούλεσθαι ἔχειν τέκνον,

1 Forte compendii gratia scriptum erat οὐδὶν': quae scriptio planiorem praestat locutionem : *Neminem peccare prohibent.*

2 De huius loci emendatione dictum est superius cap. XXXIV.

que ex vili, respectu cognationis atque ingentium opum. Videte in quantam impietatem cessit exlex ille, adulterium et caedem simul docens! Ac post haec facinora effrontes illi seipsos catholicam ecclesiam appellare aggrediuntur, et quidam indicantes, se recte agere, consentiunt ipsis! Sub hoc primum ausi sunt ipsi alterum baptisma. Haec igitur admirabilis ille Callistus constituit, cuius permanet schola custodiens mores ac traditionem, non diiudicans quibuscum oporteat communicare, omnibus indiscriminatim offerens communionem. A quo etiam nominis participarunt appellationem ut vocentur ob antesignanum talium operum Callistum Callistiani.

Quum iam per universum mundum personaret huius doctrina, intuitus istud rei vir dolosus atque arrogantiae plenus, Alcibiades appellatus, habitans Apameae Syriae, actuosiorem se atque ingeniosiorem Callisto aleatorem iudicans, advenit Romam ferens quendam librum et dicens, hunc librum inde a Seribus Parthiae accepisse virum quemdam iustum Elchasai qui cuidam nomine Sobiai

---

μήτε ἐξ εὐτελοῦς διὰ τὴν συγγένειαν καὶ ὑπέρογκον οὐσίαν. Ὁρᾶτε εἰς ὅσην ἀσέβειαν ἐχώρησεν ὁ ἄνομος μοιχείαν καὶ φόνον ἐν τῷ αὐτῷ διδάσκων! καὶ ἐπὶ τούτοις τοῖς τολμήμασιν ἑαυτοὺς οἱ ἀπηρυθριασμένοι καθολικὴν ἐκκλησίαν ἀποκαλεῖν ἐπιχειροῦσι, καί τινες νομίζοντες εὖ πράττειν συντρέχουσιν αὐτοῖς. Ἐπὶ τούτου πρώτως τετόλμηται δεύτερον αὐτοῖς βάπτισμα. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ θαυμασιώτατος Κάλλιστος συνεστήσατο, οὗ διαμένει τὸ διδασκαλεῖον φυλάσσον τὰ ἔθη καὶ τὴν παράδοσιν, μὴ διακρῖνον τίσι δεῖ κοινωνεῖν, πᾶσιν ἀκρίτως προσφέρων τὴν κοινωνίαν · ἀφ' οὗ καὶ τὴν τοῦ ὀνόματος μετέσχον ἐπίκλησιν, καλεῖσθαι διὰ τὸν πρωτοστατήσαντα τῶν τοιούτων ἔργων Κάλλιστον Καλλιστιανοί.

Τούτου κατὰ πάντα τὸν κόσμον διηχηθείσης τῆς διδασκαλίας, ἐνιδὼν τὴν πραγματείαν ἀνὴρ δόλιος καὶ ἀπονοίας γέμων Ἀλκιβιάδης τις καλούμενος, οἰκῶν ἐν Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας, γοργότερον ἑαυτὸν καὶ εὐφυέστερον ἐν κυβείαις κρίνας τοῦ Καλλίστου, ἐπῆλθε τῇ Ῥώμῃ φέρων βίβλον τινὰ, φάσκων ταύτην ἀπὸ Σηρῶν τῆς Παρθίας παρειληφέναι τινὰ ἄνδρα δίκαιον Ἠλχασαΐ, ἣν παρέδωκε τινὶ λεγομένῳ Σοβιαΐ χρηματισθεῖσαν ὑπὸ ἀγ-

eum tradidit divinitus datum ab angelo, cuius altitudo schoenos patet XXIV, hoc est milliaria XCVI; latitudo schoenos IV, atque ab humero ad humerum schoenos VI. Vestigia pedum eius patent in longitudine schoenos III cum dimidio, hoc est milliaria XIV, in latitudine schoenum unum cum dimidio, in altitudine schoenum dimidiatum. Esse autem cum ipso et feminam, cuius mensuras esse ait secundum praedictas: et marem quidem filium esse Dei, feminam vero vocari sanctum spiritum. Monstrosa haec loquendo solet turbare stultos dicens, hunc hominibus nunciasse novam remissionem peccatorum anno tertio imperii Traiani: et baptismum praestituit (quem ipsum exponam) affirmans, inquinatos omni lascivia et immunditia et flagitiis, etsi fidelis quis esset, si conversus is fuerit ac libro obtemperaverit et crediderit, per baptismum accipere remissionem peccatorum. Has autem ausus est moliri machinationes capta occasione a praedicto dogmate, quod in medium protulit Callistus. Comperto enim, multos tali promissione oblectari, tempestive censuit manum operi admovendam. Huic porro nos re-

---

γέλου, οὗ τὸ ὕψος σχοίνων κδ' ὃ γίνεται μίλια ϟϛ'· τὸ δὲ πλάτος αὐτοῦ σχοίνων δ', καὶ ἀπὸ ὤμου εἰς ὦμον σχοίνων ϛ'· τὰ δὲ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἐπὶ μῆκος σχοίνων γ' ἡμίσεως· ἃ γίνεται μίλια δεκατέσσαρα· τὸ δὲ πλάτος σχοίνου ἑνὸς ἡμίσεως, τὸ δὲ ὕψος ἡμισχοινίου. Εἶναι δὲ σὺν αὐτῷ καὶ θήλειαν, ἧς τὰ μέτρα κατὰ τὰ προειρημένα εἶναι λέγει· καὶ τὸν μὲν ἄρσενα υἱὸν εἶναι τοῦ θεοῦ, τὴν δὲ θήλειαν καλεῖσθαι ἅγιον πνεῦμα. Ταῦτα τερατολογῶν, νομίζει ταράσσειν τοὺς μωρούς, λέγων τοῦτον εὐηγγελίσθαι τοῖς ἀνθρώποις καινὴν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἐπὶ Τραϊανοῦ βασιλείας τρίτῳ, καὶ βάπτισμα ὁρίζει, ὃ καὶ αὐτὸ διηγήσομαι, φάσκων τοὺς ἐν πάσῃ ἀσελγείᾳ καὶ μιασμῷ καὶ ἀνομήμασιν ἐμφυρέντας, εἰ καὶ πιστός [τις] εἴη, ἐπιστρέψαντα καὶ τῆς βίβλου κατακούσαντα καὶ πιστεύσαντα, ὁρίζει βαπτίσματι λαμβάνειν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ταῦτα δὲ ἐτόλμησε τεχνάσαι τὰ πανουργήματα ἀπὸ τοῦ προειρημένου δόγματος ἀφορμὴν λαβών, οὗ παρεστήσατο Κάλλιστος. Ἡδομένους γὰρ κατανοήσας πολλοὺς ἐπὶ τοιαύτῃ ἐπαγγελίᾳ εὐκαίρως ἐνόμισεν ἐπιχειρεῖν.

sistentes haud permisimus, multos diu in errore versari, ostendentes, id esse spiritus adulterini operationem atque inflati cordis cogitatum, hunc autem instar lupi suscitatum fuisse contra multas oves errantes quas a veritate abducens dissipavit Callistus. » Hactenus ille in ea lucubrationis parte quae quum felle potius quam atramento conscripta sit, contraria nobis heterodoxorum studia summopero incendit.

Καὶ τούτῳ δὲ ἡμεῖς ἀντιστάντες, οὐκ εἰάσαμεν ἐπιπολὺ πλανηθῆναι πολλούς, ἐλέγξαντες εἶναι τοῦτο πνεύματος νόθου ἐνέργειαν καὶ ἐπίνοιαν πεφυσιωμένης καρδίας, καὶ τοῦτον λύκου δίκην ἐπεγηγερμένον πλανωμένοις προβάτοις πολλοῖς [ἃ] ἀποπλανῶν διεσκόρπισεν ὁ Κάλλιστος 1.

CAPUT XLI.

Callisti adolescentiae plus nimio iniquus est auctor huius delationis.

Universam hanc delationem alii iam summa eruditione ac pari fide expenderunt. At misso etiam quod eximia quaedam opera in hanc rem edita nostratibus minus patent, non arbitror hanc segetem ita esse demessam ut spicarum nihil supersit legendum. Itaque non abs re futurum puto ut praecipua huius narrationis capita heic rursus examini subiiciantur. — Tota renunciatio duas habet partes quarum altera Callisti adhuc laici rationem, altera ecclesiasticam eiusdem vitam attingit. Licebit igitur separatim primam excutere, quo instructiores alteram deinde examinemus.

Schismatico scriptori, laxatae disciplinae initia repetenti, non parum incommodabat martyrii decus quo is nituerat atque etiamtum celebrabatur, quem primum eius labis auctorem designabat. Inde ergo principium duxit unde adversum ipsi praeiudicium

1 *Philosoph.* - *IX*, 6-13.

oriebatur. De Callisti obitu, ex quo nihil timendum erat, plane silet: fidei vero confessionem, quam ille iunior ediderat, sic enarrat ut in summum illius dedecus cedat. Callistus conditione servus ab hero Carpophoro exercendae mensae fuerat addictus. Novitium trapezitam ab iudaeis inficiatoribus pecunia fraudatum fuisse nemo mirabitur. Id porro Callistus affirmabat: idipsum, fidenter adita Iudaeorum synagoga, suo periculo confirmavit. Neque ceteri fideles, quibus ille sequestribus est liberatus, aliter de ea re sensisse visi sunt: neque herus ipse qui pecuniam commiserat, persuasum habuit, Callistum esse decoctionis reum, deprecatoribus alioquin minime crediturus. Quid? quod munus archidiaconi Callisto postea conlatum ostendit, Callisti fidem omni exceptione maiorem vulgo habitam fuisse? Auctor tamen maligna insinuatione significat, Callistum creditas sibi pecunias obligurivisse, ac nullo plane indicio deprompto nullaque exhibita auctoritate causam adiudicat Iudaeis.

Postquam a singulis debitoribus nihil impetrasset, congregatos in synagoga Iudaeos Callistus convenit. Inopem illi atque inermem servum, professione christianum, contumeliis onerant, plagis contundunt, ad severissimi Fusciani tribunal rapiunt. Habuerit sane rei summa ut eam post annos minimum quadraginta scriptor iste litteris evulgavit. At quales ipse rei colores obtendit? Is est auctori Callistus qui concitato in synagoga tumultu Iudaeos vincere aggreditur (στὰς κατεστασίαζεν αὐτῶν) adeoque irrogatae iniuriae reus est. Iudaeos vero auctor exhibet tanquam iustos actores qui contra Callistum se ipsi coram Fusciano defendunt (ἀπεκρίναντο). Stomachum haec movent. Quod sequitur, risum ciet. Hero reposcente quae recuperari non poterant, Callistus ad mare aufugerat ac navim conscenderat. Inde conspicatus herum, qui scapha invectus navim petebat, in mare desiluit. Cave tamen ne putes desiluisse illum ut natando in siccum egressus semet e manibus heri proriperet. Idcirco enim se praecipitem dedit ut voluntariam occumbens mortem herili se furori subduceret. Nec satis huic obtrectatori est quaesitam a Callisto necem semel affirmasse. Si enim audiamus, Romam herifuga reductus, non alio consilio Iudaeos

turbavit, quam ut morte multatus effugeret severiorem Carpophori animadversionem. At nonne summam Callisti sagacitatem ipse auctor centies notat? Nonne idem a facili ac sequaci ingenio Carpophorum laudat? Cuius, rogo, consilii fuit malle verbera, metalla, crucem, quam facili bonoque hero servire? aut quae Carpophori facilitas esse potuit qui neque post flagella et deportationem et laboriosum in Sardinia carcerem se Callisto placabilem praestitit? Reversum quippe e Sardinia martyrem beatus pontifex Victor manero Antii iussit, no irruentis Carpophori impetus praesentem opprimeret. — Ita nempe scriptor proculcando adversario unice intentus (ut fieri solet) sua se inconstantia refellit.

Redeunti quidem Callisto romanus antistes adeo non obstitit, ut menstruum censum eidem ad victum attribuerit. Nequid tamen laudis inde in Callistum redundaret, monet noster hic mentium cognitor, Victorem de Callisti reditu doluisse ac nihilominus dolorem dissimulasse, *quia misericors erat.* Vereor equidem ne Moshemio ac Pottero, qui Victorem iniquae severitatis insimularunt, huiusmodi testimonium frustra obiiciamus. Sed hoc praetermisso, quaerit opportune Cruicius, cur heic auctor de prima Callisti ordinatione sileat eumque nobis, quem paulo prius herifugam exhibuerat mox archidiaconum sistat? Arbitror, ne ullam refellendi ansam legentibus obtenderet, si Callistum a beato Victore ordinatum dixisset. — Quod tamen ipse reticuit, id ex eiusdem silentio divinari licet; Callistum a beato Victore inter clericos fuisse cooptatum. Ait enim ille, Callistum in cleri ordinatione adfuisse Zephyrino legum ecclesiasticorum (si auctori credimus) imperito, quin tamen notet eum a Zephyrino fuisse inter clericos adlectum. Notasset autem, si ita fuisset, vigilantissimus actor, quem nihil fugit quod ad inimici dedecus utcumque trahi possit. A Victore igitur paulo post reditum beatus ille fidei confessor in clerum adscitus est.

Hoc semel agnito, quis iam non videat, nobis cum calumniatore captiosissimo negotium esse? qui, quum nihil veri criminis Callisto adolescenti possit affingere, ipsas eius laudes in crimen vocare malignis enarrationibus atque interpretationibus conatur?

Non his profecto artibus indiget qui seposito partium studio id agit unum, veritas ut omnibus innotescat. Atqui prudens quisquo novit, cum in omni historia tum potissimum in obtrectatorum renunciationibus facta a commentariis secerni oportere, et commentarios quidem plerumque ad scriptoris ingenium exigendos esse ac referendos, o factis vero ea solum esse accipienda quae vel obtrectator contra se ipse testari cogitur vel locupletiorum testium seu diserta seu tacita suffragatione confirmantur. Hac igitur praestituta norma de singulis universae huius delationis capitibus iudicandum erit.

Iam vero idipsum quod auctor affirmat, Callisti ausus ac facinora omnibus explorata fuisse, non modo nulla veterum testificatione comprobatur, sed Victoris ac Zephyrini primum, deinde vero etiam cleri ac plebis romanae testimonio refellitur. Secundis enim populi suffragiis, Callistus deinde a presbyteris romanis dignus habitus est qui romanus pontifex ordinaretur. Nimirum, licet conditione servus, post iuventutem gravibus calamitatibus exercitam, laboriosa etiam christianae fidei confessione nobilitatam, tanta existimatione apud omnes fuit ut non modo ecclesiasticam ordinationem, sed summum in Ecclesia locum meruerit. Quare ad hoc delationis caput quod attinet, fateamur necesse est, nihil labis Callisto inlatum fuisse. Unum superest pensitandum, priusquam ad reliquas criminationes progredimur, utrum relata Callisti confessio receptam de ipsius martyrio persuasionem infirmare putanda sit. Quum tamen proposita quaestio paullo prolixiorem tractationem poscat, eam insequente articulo exsequemur.

CAPUT XLII.

Fidei confessio, quam iunior edidit Callistus, cum eiusdem martyrio componitur.

Ex auctore discimus, Callistum adhuc iuvenem, accusantibus Iudaeis, tanquam christianum a Fusciano flagellis caesum esse ac damnatum ad metalla Sardiniae, ubi vel biennium vel quadrien-

nium laborioso addictus operi exegit. Inde tamen citra fallacis properantiae notam haudquaquam intulerim, illius tantum confessionis caussa inter beatos martyres usque a medio seculo tertio fuisse illum ab Ecclesia honoratum. Callistum quippe placido exitu vitam clausisse, neque affirmat auctor neque inficiatur. Nullam is de Callisti migratione mentionem iniicit, quod ea nempe ad eius consilium atque ad operis finem nihil attineret. Quare aliis plane auctoritatibus de Callisti martyrio disceptandum est.

Me quidem primo, ne martyrii palmam Callisto facile abiudicem, impedit solemnis appellatio martyris qua ille mature admodum ab Ecclesia insignitus est. Quam enim primus omnium Paulus apostolus beato Stephano attribuit Christi caussa interempto 1, eam appellationem Ecclesia prioribus tribus seculis *solemniter* usurpare, meo iudicio, non consuevit nisi de iis, qui, vel perlato supplicio vel in carcere ac vinculis supplicium antegressi, vitam pro Christo posuissent. Solemnem porro eius appellationis usum intelligo eum qui sive in sacra liturgia sive in annua natalium celebratione locum habuit. Quare nihil contra hanc sententiam evincunt quae de confessoris ac martyris nominibus erudite disserit Ansaldus 2. Id autem fuisse in more positum, declarat primum recepta iis temporibus distinctio inter martyris et confessoris (μάρτυρος, ὁμολογητοῦ) appellationes. *Illi iam sunt martyres* (aiebant e Lugdunensibus quidam pro Christo vincti) *quos in ipsa confessione Christus dignos duxit qui susciperentur, obsignato veluti per obitum testimonio ipsorum: nos vero simplices atque humiles confessores sumus* 3. Quod sane discrimen iidem illi confirmant qui a solemni

1 *Act.* - *XXII*, 20.

2 Ansald. - *De martyrib. sine sanguine XVI-XXVI.*

3 Ἐκεῖνοι ἤδη μάρτυρες, οὓς ἐν τῇ ὁμολογίᾳ Χριστὸς ἠξίωσεν ἀναληφθῆναι, ἐπισφραγισάμενος αὐτῶν διὰ τῆς ἐξόδου τὴν μαρτυρίαν· ἡμεῖς δὲ ὁμόλογοι μέτριοι καὶ ταπεινοί. (Ap. Eus. - H. E. V, 2.). De quo discrimine conferri etiam possunt Acta ss. Montani et socc. § XXI ap. Ruinart., et Cyprianus - *Ep.* LII, et Cornelius pontifex ap. Eus. - H. E. VI, 43 et idem Eusebius ibid. V, 1.

usu inter loquendum recedebant [1]. Quorsum vero spectarit praestituta illa distinctio, haud facile apparet, si nulla eius discriminis ratio habita fuisset in sacra liturgia atque in annuis martyrum solemnibus. Sed quaenam hac in re fuerit romanae ecclesiae ratio, perspicere licet in ecclesia carthaginiensi. Monet Cyprianus, accurate notandum esse diem migrationis non modo eorum quos tormenta tollunt, sed eorum etiam quorum *voluntati et confessioni in carcere et vinculis accedit et moriendi terminus, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Neque enim virtus eorum aut honor minor est, quominus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur* [2]. Carthaginiense igitur martyrologium eos tantum martyres consignatos habuit qui religionis caussa vel necati fuerant vel priusquam necarentur diem in carcere obierant. Unde consequens est (quae fuit utriusque illius ecclesiae cognatio), eandem per ea tempora fuisse consuetudinem ecclesiae romanae.—Idipsum declarat deinde festorum celebratio ac sacellorum erectio. Non enim per eam aetatem alia sanctorum festa quam martyrum (μαρτύρων ἡμέρας) celebrata sunt, quorum nempe post Christi effatum (Marc. VIII, 34) exploratior erat beata in caelum receptio [3]. Neque aliis quam martyribus re-

1 Cf. Chrys. - *Orat. de Eustath. antioch.* § 2, et *Hom. in Ps. XCV*, item *Hom. XI in Ep. ad Hebr. et II in Ep. ad Cor.*; Hieron. - *Comm. in Matth. XX.*

2 Cypr. - *Ep. XXXVII.*

3 Tertul. - *De corona VI;* Constit. Apost. - V, 8, 9; *VIII*, 33; Cypr. - *Epp. XXXIV, XXXVII, XXXVIII;* Eus. - *V. C. IV*, 23; Conc. laodic. - *Can. LI.* Huc faciunt quae scribit Augustinus in illud Iohannis: « Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » *Hoc* (inquit hipponensis praesul) *beati martyres ardenti dilectione fecerunt. Quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio quo et ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus; oportet ut quemadmodum ipsi, et nos talia praeparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus, quia impleverunt ipsi caritatem, qua Dominus dixit non esse maiorem.*

ligionis caussa mortuis excitata sunt sacella, in quibus eorundem natalitia quotannis celebrarentur; uti ex veterum ecclesiarum censu liquet. Unde factum est ut quarto seculo exeunte aliorum quoque memoria publice coli coeperit, quatenus iidem ad meritum rationemque martyrum accessisse censebantur. Quam ob rem sanctorum fasti *martyrologia*, atque ecclesiae deinceps aliquandiu *martyria* [1] nuncupari perrexerunt. Atqui Callistum solemni martyris appellatione insignem fuisse publicoque fidelium cultu honoratum, testatur laterculum bucherianum Marco pontifice exaratum, cui Callisti martyris depositio ad diem pridie idus Octobris est consignata [2]. Neque huic auctoritati censendus est refragari catalogus liberianus romanorum pontificum qui de Callisti martyrio silet. Exploratum est enim, catalogum istum, in postremis articulis accurate satis elaboratum (si librarii menda corrigantur), vetustiorum pontificum memorias adeo perfunctorie attingere ut simplicem eorum censum exhibere videatur. Argu-

1 Hieron. - *Vita s. Hilarionis* § *XXXI*.

2 Bucheriana *Depositio episcoporum* nomina pontificum praefert a Lucio ad Iulium (an. 252 - 352), dempto Xysto qui martyribus accensetur, et Marcello qui, ut in reliquis monumentis antiquioribus, plane desideratur. Sunt autem digesta nomina non ordine quo alter alteri successit, verum pro successione mensium ac dierum quibus singuli sepulti sunt; nisi quod postremus Iulius, qui die XII aprilis depositus est quique propterea Lucium inter et Caium collocari debuisset extremo loco post Eutychianum commemoratur. Quae ordinis immutatio sane indicat, exemplar bucherianum vivo adhuc Iulio fuisse absolutum ac deinde post eius obitum subnexo Iulii nomine auctum fuisse. At vero paullo vetustiorem eius laterculi aetatem arguit aliud exemplar quod ex alio codice deinceps Eccardus edidit (*Corpus historicum med. aev.* T. I, col. 23). Heic enim ordo mensium accurate custoditur Eutychiano tenus cui deinde Marcus et Iulius praeter mensium ordinem subiecti reperiuntur. Factum porro additamentum liquet etiam e scriptionis varietate qua callistianum hypogaeum in eccardiano codice memoratur. - Quapropter Marco pontifice, qui Petri cathedram tenuit anno CCCXXXVI, digestum fuisse constat superiorum pontificum laterculum a Lucio ad Silvestrum, eique deinceps Marci et Iulii nomina subtexta fuisse.

mento sit Telesphori martyrium quod inibi praetermittitur, quamquam vix aliud fuerit per eam aetatem illustrius.

Deinde, ne mortem a Callisto pro fide obitam facile inficiemur, ipsa impedit ratio martyrologii bucheriani 1: in quo eos dumtaxat martyres memoratos legimus qui fuso sanguine christianam professionem obsignarunt. Plurium quippe mortem pro religione obitam rescimus e sinceris eorum actis, ex historia Eusebii, ex Damasi titulis, ex hymnis Prudentii, ex aliis id genus monimentis: ex quo iudicium do minus notis nominibus faciendum videtur. Sed, quod gravius est, inter confessores ibidem, non inter martyres, commemoratur Lucius pontifex, qui iuxta liberianum

1 Bucherianum martyrologium, quod inscribitur *Depositio martyrum*, maturius fortasse, quam *Depositio episcoporum*, digestum est aut certe non serius, utpote quod non alios martyres exhibeat quam qui inter primordia tertii quartique seculi in suburbanis hypogaeis compositi sunt. Exemplar tamen, quod superest, adhibitum fuisse videtur iis martyrum solemnibus designandis, quae anno CCCLX Romae celebrata fuerunt: uti licet coniicere ex eo tractu qui a martyrum festis vacuus est quique inter septimum martii diem et maii decimnm nonum continetur. Porro vacuum hoc intervallum neque ex defectu festorum neque e codicis hiatu repeti potest. Per id enim temporis Pancratii martyris memoria die maii duodecimo recolebatur, quae in eo catalogo reticetur. Deinde, quod maius est, idem fere intervallum in veteri Kalendario carthaginiensi reperitur. Igitur liturgica eius rei caussa quaerenda est. Atqui constat, in ecclesiis generatim iam tum obtinuisse consuetudinem ut statae martyrum commemorationes, maiori ieiunio festisque paschalibus intercurrentibus, omitterentur. Haec igitur caussa fuit cur in utroque Kalendario idem fere temporis spatium a martyrum memoriis vacuum remanserit. Iam vero ex coniuncta *Depositione episcoporum* intelligitur, hunc festorum censum vel Marco vel Iulio vel Liberio pontifice in usum seu privatum seu publicum aptari debuisse. Itaque ut annus ecclesiasticus inibi descriptus definiatur, satis est ut quaeramus in illa annorum successione (ab an. 336 ad 366) quibus annis esuriales feriae in octavum martii diem inciderint. Atqui ex duobus eiusmodi annis, qui tantum occurrunt, 349 ac 360, non potuit esse prior, quo Romae pascha celebratum est die martii vicesimo sexto, ut patet ex paschali tabula philocaliana atque ex chronicis athanasianis a Maio versis (Nova PP. bibl. VI, 9). Superest igitur ut concludamus, bucherianam hanc *Depositionem martyrum* ad annum quarti seculi sexagesimum spectare.

catalogum, eodem codice contentum, religionis caussa *exul fuit et postea nutu Dei incolumis ad ecclesiam reversus est*. Quam catalogi relationem confirmat Cyprianus *beatum Lucium* appellans *plenum spiritu Dei* et *in glorioso martyrio constitutum* [1]: comprobat Dionysius alexandrinus de Gallo imperatore, sub quo Cornelius et Lucius pontifices claruere, scribens, *ab eo sacerdotes in exilium actos esse* [2]. Quae vero Lucii, eadem Eusebii pontificis ratio est, qui nequaquam ibi martyribus accensetur, quamquam a Damaso dicatur martyr ut qui *Pertulit exilium Domino sub iudice laetus*, et *Litore trinacrio mundum vitamque reliquit*. — Callistus igitur non idcirco martyribus connumeratus est quod in Sardiniam deportatus fuerit, unde postea incolumis in Italiam reversus est, sed quod pro Christo mortem obierit.

Callisti quidem acta, quae circumferuntur, merito reiecta sunt; at non propterea de illius martyrio est ambigendum. Etsi enim confictis martyriorum narrationibus abundamus, vix ulla legimus acta de iis conficta qui tranquillum e vita exitum habuerunt. Cuius rei caussa est, quod ex primis ac sinceris sequiora haec acta, ut plurimum, orta sunt. *Equidem*, (ut Morcellii verbis utar) *cur acta huiusmodi prima et intacta clarissimorum aliquot martyrum desiderentur, potissimam esse caussam arbitror, quod quum pauca de illis, ut fere fiebat, scripto a maioribus tradita essent, multaque dubia fama vulgo celebrarentur, optime quidam gloriae eorum se consulturos putarunt, si veri quam simillima sectati, saepe etiam fabulas commenti, contractam illam ac perbrevem historiam amplificarent. . . . . Ita factum est ut prima acta, quae nullo ornatu orationis perscripta erant, prae elegantioribus illis novis plenisque negligerentur: quumque haec ubique legi ac describi coepta placuissent, . . . acta vetera, quae nemo iam legeret, nemo describeret, sensim interire necesse fuerit* [3].

1 Cypr. - *Ep. LXVII ad Steph.*
2 Dionys. Alex. - ap. Eus. - *H. E. VII*. 1.
3 Morcell. - *Kal. cplit. Vol. II*, p. 89.

Ceterum criticae cultores iamdiu animadverterunt, necis genus Callisto in actis tributum ab ea tempestate non abhorrere qua Callistus pontifex vivebat 1. Deiiui enim praeceps e fenestra in puteum deiectus: quod, pacata licet ecclesia, privato scelestorum ausu committi potuit. Id autem qua ratione contigerit, coniectari forte potest ex bucheriano martyrologio. Namque inde constat, Callistum *via aurelia milliario III* hoc est in coemeterio trans Tiberim sito depositum fuisse, minime vero in eo coemeterio quod Callisti cura adornatum fuerat, ipsiusque nomine insignitum, quin etiam beati Petri exuviis recens in viciniam translatis nobilitatum 2.

1 Tillemont. - *Mem. eccl. T. III not.* 3 *in Callist.*; Orsi. - *H. E. T. III L. VI c.* 25.

2 Callistianum hypogaeum secus Appiam situm est. Extremam eius partem, ad s. Sebastiani sub Damasi platonia, adiacet crypta seu cella, in qua olim beatorum Petri et Pauli exuviae (haud ita post utriusque martyrium) brevi mora latuerunt. Constat enim ex quodam carmine Damasi atque ex magni Gregorii epistola (*IV*, 30), eas tunc illuc e suo cuiusque sepulcro ob singulare quoddam facinus fuisse translatas. Sed praeter veterem illam translationem utrique Apostolo communem altera recentior ad eundem locum facta est, unius Petri propria, quae Callisto pontifici tribuenda videtur. Nam bucheriana *Depositio martyrum* ad diem III Kal. iul. monet, *Tusco et Basso coss.*, id est, anno CCLVIII, Petri natalem ad *Catacumbas* celebratum esse, Paulli vero ad Ostiensem. Est autem compertum, *Catacumbas* proprie a veteribus dici consuevisse coemeterium ad s. Sebastiani situm. *Itineraria* quidem bucheriano illo monumento recentiora ad *Catacumbas* adnotant, hunc esse locum, *ubi sunt sepulcra Apostolorum, in quibus XL annos quieverunt*. At quomodo bina haec testimonia componenda sint, patet ex romanorum pontificum depositione seu sepultura vetusto indici vaticano ac partim etiam bucherianae *Depositioni episcoporum* consignata. Nam inde colligimus, plerosque pontifices primi alteriusque seculi sepultos fuisse *in Vaticano iuxta corpus b. Petri*, Zephyrinum vero, qui ab ineunte seculo tertio ad primum Elagabali annum pontificatum gessit (Eus.-*H. E. VI*, 21), eiusque magno numero successores in coemeterio Callisti. Id porro argumento est, a decessu Zephyrini, hoc est, ab anno CCXVIII quadraginta illos annos in *Itinerariis* memoratos numerari oportere: ac proinde Tusci et Bassi consulatu postremum annum designari, quo, non utriusque apostoli, ut parum accurate *Itineraria* notant, sed unius b. Petri cineres ad *Catacumbas* quievere. Neque enim pro arbitrio

Cuius sane rei caussam Callisto indecoram ne cogitare quidem licet; quum certum sit, hypogaeum hoc deinceps ab ecclesia romana Callisti nomine gloriosum haberi perrexisse, quamquam Callisti natalis in alio coemeterio celebraretur. Itaque illud me suspicari facit, Callistum, inde ab adolescentia Iudaeis invisum, ab iisdem vel in regione transtiberina, quam incolebant, vel in vicinia necatum fuisse. Ita facile intelligitur cur elatum inde corpus fideles, non in callistiano, sed in propiore coemeterio composuerint. Quod spectabat (opinor) clarissimus eques I. B. De Rossi quum in laudata superius dissertatione obiter dixit, sepulcrum in eo martyrologio indicatum forte ipsum callistiani martyrii locum fuisse. Atque haec eo consilio dicta sint, ut neque propter christianae rei tranquillitatem, neque ob silentium schismatici scriptoris, invictum Christi pugilem ea laude fraudemus quam illi non modo Pontificale bollandianum, quinto saeculo absolutum, sed hoc longe antiquius Bucherii martyrologium detulisse scimus. Venio iam ad criminationes quae ad ecclesiasticam Callisti vitam referuntur.

mutatum censeri debet romanorum pontificum hypogaeum; at, si seponamus mutationum caussas aliquando intercurrentes, id fieri consuevit pro mutatione loci, quo compositi sunt cineres b. Petri; ut vel ex ipsa romanorum antistitum humatione eorundem apostolica successio constaret. — Et sane, quo tempore Zephyrinus vita migravit, Elagabalus imperator Macrino suffectus est, ac verna tempestate anni CCXIX Romam veniens spectacula praeter modum magnifica dedit (Herodian. - *Lib. V*). Inter alia vero perhibetur *elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulcris, quae obsistebant (*Lamprid. - *C. XXIII)*. Callistus igitur, iam romanus episcopus, metuens ne forte sacerrimum illud pignus fossione humi circumpositae periclitaretur, e Vaticano ad veterem Appiae cellam illud transtulisse videtur, simulque Zephyrini corpus vel nondum sepultum vel recens humatum in propinquo coemeterio composuisse. Merito igitur affirmari potest, callistianum hypogaeum exuviis b. Petri recens in vicinam translatis fuisse nobilitatum. - Consulatur *P. Ios. Marchi - Monumenti delle arti cristiane primitive, pagg. 200 et seqq.*

CAPUT XLIII.

Criminationes, quibus petitur Callistus in clerum cooptatus quibusque partim aspergitur Zephyrinus illius decessor. — Callisti doctrina de distinctione divinarum hypostaseon. — Iterati baptismatis accusatio.

Sex ferme delationis capita distingui possunt in ea libri parte qua Callistus iam clero adscriptus accusatur. Horum tria doctrinam immutabilem, tria vero mutabilem Ecclesiae disciplinam respiciunt. Primi generis sunt, quae sabellianum dogma et concessam quibuscumque noxis veniam et permissum anabaptismum vitio vertunt. Alterius autem generis haberi possunt quae generatim Callisti indulgentiam reprehendunt quod attinet sive ad episcopos puniendos, sive ad clericos ob inita coniugia e clero summovendos, sive ad feminas a certis quibusdam nuptiis avocandas. Huius porro corruptelae universae culpa in Callistum pontificem confertur, etsi aliqua doctrinae depravatio inde a pontificatu Zephyrini coepta dicatur. Quod ut legentibus suadeat, semel atque iterum testatur auctor, Callisti arbitrio gubernatam fuisse quam Zephyrinus ab se regi ecclesiam *putabat*. Quando igitur hac veluti praefatione auctor accusationi viam sternit, heic nos parumper sistemus priusquam singulas criminationes ad trutinam revocamus.

Concedatur id liberaliter auctori, Zephyrini pontificis permissu graviora Ecclesiae negotia per unum Callistum acta fuisse. Id profecto duabus de caussis plane diversis fieri potuit, quarum altera in dedecus, altera in laudem viri utriusque cessisset. Fieri siquidem potuit ex demissione ac modestia Zephyrini, qui Callisti doctrinam atque solertiam sibi utendam censuerit; potuit ex hypocrisi et calliditate administri, qui rudem ac simplicem episcopum deceperit. Utram nos interpretationem eligemus? Siquis forte scriptoris huius interpretationem amplectatur, viderit is quali utatur auctore, dum comperto malignitatis viro fidem adiungit.

Sed nemo sanus animum inducet ut uni obtrectatori credat potius quam beati Victoris presbyterio quod Zephyrinum pontificem elegit. Admisso igitur facto, reiectoque accusatoris commentario, putabimus, sapientiae iuxta et modestiae tantum in Zephyrino fuisse ut Callisti prudentiam agnosceret atque ad ecclesiae usum adhiberet. Quin imo in electione Zephyrini post Victorem pontificem forte quis altioris providentiae consilium introspexerit, ut, pro temporum necessitate, post Victoris fortitudinem atque constantiam exemplum demissionis ac lenitatis Ecclesiae praeluceret. Neque vero quidquam de Callisti aut Zephyrini meritis detrahit quod illo, officio archidiaconus, sedulo fidelium collationes curaret, atque hic solertem administrum eo etiam nomine diligeret. Seposita enim mali detractoris interpretatione, nihil heic invenitur quod sive ab honestate deflectat, sive ab apostolicae ac principis ecclesiae rationibus abhorreat. Nam per ea tempora Romae praeter clericos bene multos viduae reperiebantur atque egentes supra mille et quingentos, quos omnes Domini gratia et benignitas per fidelium liberalitatem alebat [1]. Huc accedit quod ea romanae ecclesiae consuetudo inde a primo seculo invaluerat ut ad alias multas ecclesias, quantumvis ab Italia dissitas, necnon ad fidei confessores in custodiis detentos opportuna egentibus praesidia ab Urbe submitterentur [2]. Quo igitur iure ulla avaritiae sordes Zephyrini animo affingitur, qui citra privati quaestus utilitatem ad levandam ecclesiarum inopiam munificentia lucupletiorum fidelium indigebat? Non ii profecto esse debemus qui Zephyrino et Callisto humani nihil potuisse accidere censeamus: at cavendum est nobis ne maligni accusatoris testimonio freti labem ullam honoratis a christiana vetustate nominibus adscribamus.

Postquam auctor summam commemoravit gratiam quam sibi Callistus apud Zephyrinum comparaverat, callistianam de Patre ac Verbo doctrinam ita exponit, ut ea partim sabellianum partim theodotianum errorem retulisse putetur. Eum quippe virum ante

1 CORN. pont. ap. EUS. - *H. E. VI*, 43.
2 DION. Corinth. - *Ibid. IV*, 23.

Zephyrini decessum traducit uti versipellem qui catholicum dogma tueretur coram catholicis, noëtianum coram noëtianis; post obitum vero Zephyrini eundem exhibet uti magistrum qui novam haeresim ex theodotiana et sabelliana conflatam induxerit. Quo tamen loco ipse accusator (licet aegre admodum ex unius actoris testimonio veritas eliciatur) id sibi excidere, superbia stimulante, passus est, ex quo germana Callisti fides elucescit. Affirmat enim auctor, omnes, ipso excepto, cum Callisto consensisse: tum addit, inductam a Callisto doctrinam in ecclesia romana deinceps continenter perstitisse; denique fatetur, eam per universum orbem fuisse diffusam. Quare ut compertam habeamus Callisti doctrinam de divina Trinitate, satis erit ex idoneis testibus exquirere, quaenam fuerit medio circiter eo seculo apud romanam ecclesiam eius dogmatis professio. Suppetit autem huius rei testis omni exceptione maior romanus ipse antistes Dionysius qui per caussam revalescentis sabellismi germanam ecclesiae fidem cognomini alexandrino antistiti proposuit [1]. Quamnam igitur is e Petri cathedra credendi normam in ea disceptatione praestituit? Damnat enimvero Dionysius errorem sabellianum, sic tamen damnat ut simul eos redarguat, *qui ex adverso pugnantes divinitatem eiusque principatum singularem in tres virtutes... dividebant*. En itaque Callisti eiusque successorum accepta a maioribus ac tradita posteris doctrina quae, monarchianorum contractionem aeque ac tritheistarum divisionem reiiciens, unitatem substantiae cum personarum trinitate tuetur. Et sane si Callisti dogmata sedulo secernantur a consectariis quae per iniquam enarrationem indidem ab auctore inferuntur, auctor ipse callistianae orthodoxiae adsertor exsistet. Callistus enim *unum Deum* agnoscebat *Christum Iesum, nullumque alium* norat *genitum ac passum praeter ipsum;* imo vero diserte aiebat *Filium mortuum esse, non Patrem*. En agnitum a Callisto numerum personarum. Idem praeterea constanter docebat, *Patrem ac Filium esse unum eundemque spiritum individuum*, eosque qui secus crederent, *ditheos* appellabat.

3 DION. rom. ap. ATHAN. - *De decr. nic. syn.*

En unitatem divinae naturae a Callisto propugnatam. De natura quippe, non de persona, intelligendum est Callisti pronunciatum. Quod si aliter accipiatur, superiori pronunciato Callistus contradixisset; tum se ipse damnasset dum Sabellium ita docentem ex ecclesia proscripsit; denique unam esse tantummodo divinam personam pronunciasset, quod tamen, teste auctore, pronunciare nunquam voluit. Par est ratio criminationis quae theodotianum errorem, quatenus is negat Iesu servatoris divinitatem, Callisto tribuit. Adeo nimirum inter se nexa sunt dogmata de distinctione personarum deque Verbi incarnatione ut altero perperam explicato subvertatur alterum necesso sit. Quantum ex auctoris delatione rimari possumus Callisti mentem, hic scite distinguebat habitudines quibus assumpta a Verbo natura aliter ad Verbum, aliter ad totam Trinitatem refertur. Quamquam enim doceret, unum Filium fuisse genitum ac passum, simul affirmabat, in arcana illa Verbi inhumanatione quasdam etiam Patris atque adeo totius Trinitatis fuisse partes [1]. Rursum quamvis idem negaret, Patrem passum fuisse; ob mutuam tamen utriusque personae inexistentiam, negabat Patrem a Filio separatum fuisse dum Filius patiebatur. Ex adverso auctor uti callistianam de Trinitate doctrinam ad sabellianam redegerat, ita consequenter Callistum insimulabat erroris theodotiani, perinde quasi Patrem incarnatum ac passum esse, Iesum vero ipsam esse naturam a Patre assumptam ille docuisset. Quae quum ita sint, quid iam de ipsius accusatoris mente iudicabimus? De duobus alterum necessario tenendum videtur, vel non agnovisse illum mutuam personarum inexistentiam atque eatenus proclivem fuisse in tritheismum ne in sabellianum erro-

1 Tres communiter divinae Trinitatis personas incarnationem operatas esse, quamvis unus Filius carnem assumpserit, demonstrat Augustinus in Sermone LXIII de verb. Dom. c. III. De tota vero Trinitate intelligendum esse Callisti pronunciatum colligitur ex communi veterum atque ipsius adeo Callisti doctrina de divina *monarchia*. Veteres quippe illi totam Trinitatem saepe intelligebant, etsi unum nominarent Patrem propter originis dignitatem, eique idcirco tribuerent quae reliquis etiam personis communia sunt.

rem incideret, vel, agnita licet mutua personarum inhabitatione, emolumentum aliquod ex dogmatis obscuritate capere voluisse ut catholicos in haereseos crimen vocaret. Quod postremum quum ipse mecum reputo uti auctoris ingenio magis consentaneum, eo vehementius moveor ad suspicandum, hanc accusationis partem simulate potius ab auctore praetexi quam per se ac recta spectari. Quod enim sine ambagibus reprehendit auctor, ut ostentatae a se morum severitati fidem ac reverentiam conciliet, id indulgentia poenitentibus impertita continetur ac propemodum absolvitur.

Superest anabaptismi reprehensio, quam auctor in medium cursim iaculatur. At quo illa spectet, certo statui vix potest: etsi liceat coniicere quorsum reprehensionis auctor spectarit. Sive enim Novatianus habeatur huius libri scriptor, sive Tertullianus, quorum uterque irritum existimavit baptismum rite ab haereticis collatum, is ulciscendi gratia crimen in catholicos reiecisse videtur. — Putatum est ab aliquibus, criminationem hanc referri ad morem baptizandi haereticos iam rite ante conversionem ablutos, quem Agrippinus carthaginiensis in ecclesias Africae induxerat. Et sane auctor, malum illud non a Callisto admissum esse dicit, sed sub Callisto, id est, non in romana ecclesia, sed in alia quadam quae cum romana communicabat eique erat obnoxia. — Verum quum ea consuetudo adhuc perstaret in ecclesia carthaginiensi, dum auctor scriberet, ac fortasse coepta iam esset celebris illa inter Afros et Latinos controversia, non bene auctor vigentem adhuc usum perstrinxisset his vocibus: *Sub Callisto primum catholici ausi sunt alterum baptisma.* Haec porro singulare aliquod factum seu conatum notant, minime vero inolitae cuiusdam consuetudinis exordium. Ceterum necesse non est, ut hac in parte romanam ecclesiam defendamus. Ex tota enim controversia de baptismo haereticorum liquet, Stephani pontificis decessores nullam Afris dedisse ansam qua errorem suum vel primo susciperent, vel susceptum deinde tuerentur.

CAPUT XLIV.

Tum doctrina de poenitentia, tum piacularis disciplina, Callisto pontifice, eadem fuit quae sub eius decessoribus viguerat.

Quao nunc expendenda venit auctoris criminatio de venia peccatoribus oblata, ea, si modo recte intelligatur, nullam postulat refutationem. Errorem enim, in quo auctor obfirmatus erat, ipsa patefacit. Et sane haud is Callistum redarguit (ut est a Doellingero rectissime animadversum), quasi citra poenitentiae actionem fidelium noxae ab eo remitterentur, quod esset reprehensione dignissimum, nec fuisset ab huiusmodi censore praetermissum. Eo tantum nomine Callistus heic eiusque successores damnantur, quod iidem docuerint, quascumque noxas per Ecclesiam expiari. Auctor igitur in eo versabatur errore, qui Montanistis primo, deinde et Novatianensibus adrisit; idemque illud contumaciter pugnabat, quaedam ut essent noxae per Ecclesiam inexpiabiles. Quod rursum apparet ex auctoris animadversione in Montanistas. Alia namque omnia horum commenta condemnat: hunc vero errorem haudquaquam notat; quamquam iteratis vicibus iactet, se in hac haereticorum confutatione nihil incastigatum praetermisisse [1]. Liquet igitur, nullam inde Callisto notam haereseos affingi posse.

Illud potius quaeret fortasse quispiam, num ex ea scriptoris querela in discrimen vocetur dogmaticae variationis romana ecclesia, perinde quasi primo docuisset, venia carere quorundam scelerum poenitentiam, dein vero idipsum, pontifice Callisto, negasset. Itaque abs re non erit in hac enodanda difficultate paulisper immorari, praesertim quum unico proposito argumento transigi res possit. Conferantur in hunc finem Tertulliani montanistae placita, quae propugnantur in libro *De pudicitia*, cum Tertulliani catholici doctrina quae proponitur in opusculo *De poenitentia*. Quae Tertullianus docet octavo huius opusculi capite de secunda

1 *Philos.* - V, 28; *VI*, 6; *VII*, 39; *IX*, 6, 31

post baptismum poenitentia plane contradicunt iis quae deinde consignavit operi *De pudicitia* inscripto. Quum enim in priore illo profiteatur, nulla esse peccata post baptismum inexpiabilia per alteram poenitentiam, in posteriore distinguit *delicta* quae *veniam ab episcopo* consequi possunt, ab aliis per ecclesiam *irremissibilibus* et *immundabilibus* quorum venia reservanda Deo sit. Quare illic omnia Scripturarum effata, quae ad peccatorum remissionem spectant, orthodoxe accipit de poenitentia baptismum subsequente; heic vero omnia refert ad ethnicos qui baptismo lustrantur. Atqui Tertullianus anno christiano CCVII, diu nimirum ante Callisti pontificatum, iam transfugerat ad Montani factionem. Igitur ante Callistum pontificem romana ecclesia, non secus ac ecclesia carthaginiensis eidem propinqua, nullas agnovit noxas per Ecclesiam inexpiabiles. Quapropter in catholico dogmate de remissione peccatorum, Callisto pontifice, plane nihil variatum est. Et sane ipse Tertullianus id fateri cogitur in prooemio posterioris opusculi, dum ait: *Erit igitur et hic adversus psychicos* (id est catholicos) *titulus adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis obiectent.*

Seposita iam quaestione de doctrina, quaerere licebit utrum Zephyrini aut Callisti temporibus ulla facta fuerit mitigatio piacularis disciplinae. Id enim a nonnullis putatum est ob memoratas nuper Tertulliani querimonias, tanquam si remissio quaedam de prisca severitate occasionem conquerendi Tertulliano obtulerit. Equidem non arbitror argumenta suppetere, quibus ullam disciplinae relaxationem per ea tempora romanae ecclesiae tribuamus, eiusmodi saltem relaxationem, quae disciplinam vetustiorem cum doctrina committeret. Verba certe Pontificis maximi, quem Tertullianus perstringit, historica sunt eiusque Pontificis rationem aliis episcopis ad exemplum proponunt; non sunt eiusmodi, quae vel quidquam derogent de veteri consuetudine vel novam inducant. Nequit proinde ex iis inferri, severiorem antea disciplinam Romae viguisse. Praesertim quod in Africa non deerant episcopi, qui ad Montanistarum inclementiam procliviores videbantur, ac proinde monito illo exemploque romani praesulis indigebant. Audiatur hac

de re Cyprianus qui triginta circiter annis post illud Tertulliani opusculum haec litteris consignavit: *Apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt et in totum poenitentiae locum contra adulteria clauserunt* 1. En igitur qui factum sit ut Carthagine degens Tertullianus audierit verba *Episcopi episcoporum* ita scribentis: *Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* Siqua ergo severitatis remissio sub Callisti pontificatu facta est, ea non Romae, sed in quibusdam Africae ecclesiis locum habuit.

Reliquum est ut aliam expendamus opinionem, quam ex nimia in Tertullianum fide arbitror insedisse nonnullis; apostasiae nimirum atque homicidio iis temporibus veniam fuisse ab Ecclesia negatam. Id enim captiosus ille argutator testari videtur, ubi ex hierosolymitano Apostolorum decreto 2 esse dicit, *quod neque idololatriae neque sanguini pax redditur ab ecclesiis:* idipsum, ubi, veluti ad absurdum, argumentatur, veniam idololatris et homicidis esse impertiendam, si adulteris indulgeatur. At vero (quicunque tandem in quibusdam ecclesiis inolevissent eius generis abusus) certum est, nullam generatim a catholicis poenitentiam fuisse agnitam quae venia careret. Quod vel ex iis apparet catholicorum rationibus quas in libro *De pudicitia* sibi obiicit Tertullianus. Neque in ipsis Africae ecclesiis, quarum *censuram sive duritiem* notat Cyprianus, aliud flagitium beneficio poenitentiae caruit quam quod romani pontificis epistola commemoravit ac poenitentia et venia donandum edixit. Credi enim non potest, in controversia de lapsis aut Novatianenses ecclesiarum consuetudinem quoad triplex illud scelus non fuisse obiecturos, aut Cyprianum unius inexpiatae noxae mentionem facturum fuisse, si tres illae ex aequo inexpiabiles habitae fuissent. Nec, posita illa consuetudine, quam Tertulliani littera obtendit, satis intelligitur quo pacto Cyprianus novatianensi controversiae inplicitus in haec verba proruperit. *O frustrandae fraternitatis irrisio! o miserorum lamentantium et*

1 Cypr. - *Ep. LII.*
2 *Act.* XV, 28, 29.

amentium caduca deceptio! o *haereticae institutionis inefficax et vana traditio! Hortari ad satisfactionis poenitentiam et subtrahere de satisfactione medicinam* [1]. Nisi igitur Tertullianus respiciat singularium quarundam ecclesiarum abusum, censuerim, eum captiose ibidem argumentatum esse non tam ut catholicos refelleret quam ut suos gregales a catholicorum indulgentia magis magisque abalienaret. Meam paucis explicabo mentem. Sacrilegi, homicidae, adulteri ex aequo excludebantur ecclesiastica communione, eamque publica functi poenitentia ex aequo recuperabant [2]. Quum tamen idololatria et homicidium longe rariora essent quam tertium illud peccati genus, severiores illi Afrorum episcopi eam peccandi licentiam negatione poenitentiae ac veniae coercendam censuerunt. Hinc memoratae a Tertulliano litterae romani pontificis quibus apostolicae sedis ratio instar normae africanis praesulibus praestituebatur. At per occasionem illius epistolae sibi fortasse suisque montanistis timuit Tertullianus, nequis rationum pondere tractus aut ipsa disciplinae lenitate illectus Montanum desereret vel de montanismi severitate nonnihil remissum vellet. Id ut praecaveret vir nativae austeritatis retinentissimus, ostendere aggressus est, vel adulteris veniam esse negandam, vel idololatris simul et homicidis dandam esse, quibus tamen esse negandam non ambigebant africani montanistae. Haec autem ad conciliandam catholicis invidiam ita proposuit ut iis *personae acceptationem* [3] videretur affingere, dum cavebat ne quis edicto illi assentiretur quod in adulterorum poenitentium gratiam latum fuerat. Quin adeo post edita *Philosophumena* suspicari licet, Callistum pontificem invidiosa illa Tertulliani declamatione lacessitum declarasse, non aliquibus dumtaxat sed *omnibus* poenitentia functis *ab se peccata remitti* [4]. Haec siquis non admiserit, qua ratione is Tertullianum ab apertao contra-

1 Cypr. - *Ep. LII.*

2 Tertull. - *De pud. V.* coll. Aug. - *Serm. CCCLII n.* 8; *Expos. ep. ad Rom.* § 23; *Epist. XCIII ad Vinc. rog.* § 42; *Enchirid. c. LXVI* § 17, ed. maur.

3 Tert. - *De pud. V.*

4 .. Πᾶσιν ὑπ' αὐτοῦ ἀφίεσθαι ἁμαρτίας. *Philos. - IX.* 12 *p.* 290.

dictionis nota liberet, plane non video. — Utcumque tamen hic nodus expediatur, licebit interim, Tertulliani atque Auctoris *Philosophumenon* testimonio confirmare, tum ante tum post Callistum pontificem publicae poenitentiae modum in Ecclesia servatum cum ea doctrina consensisse quae nullas agnoscit noxas per Ecclesiam inexpiabiles.

CAPUT XLV.

De sacrae disciplinae dissolutione ac labe quam auctor Callisto tribuit.

Succedunt eae criminationes, quae, quum ecclesiasticae disciplinae castitatem spectent, comperto accusatoris errore, minus iam movere nos debent. Earum prima incusat nescio quod Callisti decretum quo sanciebatur, de gradu deiici non oportere episcopos vel in letale peccatum lapsos. At ex uno accusatoris testimonio, quod brevissima concluditur formula, vix quidquam de Callisti decreto pronunciare licet. Pro diversa enim, quam habere potuit, significatione atque amplitudine callistianus canon sive in bonum sive in malum sensum potuit intelligi. Neutra vero extundi ex auctore potest, qui decreti illius occasionem ratumque sibi letalium noxarum censum silentio premit. Relinquitur ergo merae coniecturae locus quam quis fortasse ex altera Callisti epistola capiat. Ibi enim a Callisto edicitur, sacerdotibus post admissa resipiscentibus reditum ad honores non esse interclusum 1. Ex quo apparet, fuisse iam tum aliquos, qui saltem ambigerent num episcopi admissorum poenitentes in pristinam dignitatem restitui possent; quod postea diserte negavit Novatianus. Atque haec quod attinet ad rescripti significationem. Quod spectat ad eius amplitudinem, ea cognosci nequit aliunde quam ex accusatoris doctrina de peccatorum gravitate. Si enim callistianus canon de iis egisset noxis, quae

1 Callist. - *Epist. ad episcopos Gall.* § 6. Exstat in collect. pseudisidoriana.

pro veteri instituto sacerdotes quantumvis poenitentes a sacerdotali communione arcebant, idipsum accusator diserte reprehendisset. Iam de gravitate ac poenis peccatorum accusator heterodoxe sentiebat, ut est superius animadversum. Immerito igitur ob eam criminationem Callistus in crimen labefactatae disciplinae vocaretur.

Gravior videri potest querela de clericis nubentibus, qui, connivente vel probante Callisto, in clero manebant quum inde pelli debuissent. Notetur tamen, heic minime definiri, (quemadmodum in alia de bigamis criminatione definitur) quo ex ordine clerici essent illi quorum nuptiae interdum toleratae sunt. Itaque ut accusatoris mentem assequamur, sat erit inquirere quam late patuerit per ea tempora cleri vocabulum. Ex canone apostolico vicesimo septimo (alias decimo nono), ex Cornelii pontificis epistola ad Fabium antiochenum, ex coaevo scriptore *De haereticis non rebaptizandis*, ex tertio canone synodi nicaenae colligitur, iam tum vel gradus hypodiacono inferiores cleri nomine comprehendi consuevisse. Aliam porro fuisse Ecclesiae disciplinam quoad episcopos, presbyteros, diaconos, hypodiaconos; aliam vero quoad sequioris ordinis clericos, testatissimum est [1]. Igitur heic etiam accusator calumniando intentus utitur vocabulo latissime patenti ut legentes ex praesumpta criminum opinione de Callisto deteriora credant. Quare convertamur licet ad expressiorem auctoris criminationem qua is queritur, episcopos, presbyteros, diaconos digamos vel trigamos, Callisto pontifice, referri in clerum coepisse. Heic sane non agitur de *simul digamis*, at de hominibus agitur iterum coniugibus quos b. Paulus episcopos, presbyteros, diaconos ordinari non permisit [2]. Quae fuit plerorumque patrum (perpaucis exceptis) subtexta

1 Conferri possunt Canon Apost. XXVII (al. XIX), Conc. illib. an. CCCI vel CCCV can. XXXIII, Conc. carth. an. CCCXC can. II, an. CCCCI, can. LXVI, EPIPH. - *Expos. fid. cath. III*, 21 et *Haer. LIX*, HIER. - *Ep. L.*

2 *Tim. III*, 2. 12; *Tit. I*, 6. - Inter plures paullinae sententiae interpretationes hanc refert Hieronymus (*Ep. ad Ocean.* § 5) « *Hoc quod dicit* unius uxoris virum *potest et aliter disseri. Ex Iudaeis erat Apostolus:*

Paulli verbis interpretatio. — Illud ambiguitate non vacare visum est priscis doctoribus, utrum heic uxor intelligenda sit etiam illa quae ante viri baptismum mortua esset, an vero ea solum quae postea decessisset. Qua in re opinionibus variatum est inter veteres. Mitior sententia in oriente viguit per eam aetatem, de qua nunc loquimur, ut liquet e sextodecimo canone apostolico, quo cavetur ne in cleri ordinem recipiatur, qui duobus a baptismo coniugiis fuerit implicitus. Aliquanto serius in occidente Hieronymus, eandem sententiam secutus, *istiusmodi sacerdotes in Ecclesia nonnullos* aetate sua fuisse, testatus est [1]. Quo ex loco Hieronymi apparet, integrum fuisse doctoribus, quarto seculo exeunte, aliter atque aliter hac in re opinari. Quare ante seculum quintum, quo ineunte Innocentius I severiorem sententiam valere voluit [2] commune scitum ea de re nullum fuit. — Iam vero in illa opinandi libertate utram, quaeso, sententiam probavit auctor? Severiorem, credo, quippe ipsius asperitati magis consentaneam. Quum itaque neque Tertullianus [3], neque Auctor *Philosophumenon* declarent cuiusmodi essent bigami vel trigami qui ad infulas assumebantur sub Callisti pontificatu, existimare licebit eos fuisse tales quos ab episcopatu mitior sententia nequaquam arcebat. Utcumque tamen res habuerit, istud criminationis caput ad disciplinam pertinet nullis illigatam dogmatis, quae, intercurrentibus caussis, eandem flecti non sinant. Nil mirum igitur, si, aucto numero fidelium, in diuturna illa Ecclesiae pace, quae duodecim annos ante ac totidem post Callisti obitum perstitit, bigami vel

prima Christi ecclesia de Israel reliquiis congregabatur. Sciebat lege concessum et exemplo patriarcharum et Moysi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere: ipsis quoque sacerdotibus huius licentiae patebat arbitrium. Praecepit ergo, ne eandem licentiam Ecclesiae sibi vindicent sacerdotes: ne bina pariter et trina coniugia sortiantur; sed ut singulas uno tempore uxores habeant. Eandem interpretationem nonnullis tribuit atque ipse probat Theodoretus *(In I. Tim. III, 2)*.

1 Hier. - *Cont. Ruf. L. I,* 32 coll. *Ep. LXXXIII ad Oceanum.*

2 Inn. I. - *Epp. II, III, XVII.*

3 Tert. - *De Monog. XII.*

trigami aliquot maiori clero accenserentur quia *non tanti erant virgines* aut monogami episcopatu digni, *quanti erant necessarii sacerdotes* 1.

CAPUT XLVI.

De ratione connubiorum a Callisto permissa.

Postrema superest eademque bipartita criminatio, qua Callistus arguitur quod secunda coniugia, quodque *non iustas* feminarum nuptias permiserit. Pauca tamen de primo atque altero accusationis capite dicenda videntur, quorum nempe prius non Callisti noxam, sed actoris errorem patefacit, posterius vero accuratissime iam a Doellingero expensum est ac refutatum.

Monogamiam coniugibus ita esse praeceptam, ut, alterutro demortuo, novas inire nuptias alteri non liceret, Montanistae primum, deinde Novatianenses docuerunt. Quorum error (ut ex veteribus haereseographis atque ex decretis conciliorum constat) ab Ecclesia damnatus, non in eo situs erat quod secundis nuptiis viduitatem illi anteferrent, sed in eo quod secunda matrimonia tanquam adulteria damnarent. Etsi enim ecclesiastici scriptores exstiterint, praesertim orientales, qui in huiusmodi coniugiis improbandis iusto severiores fuere, nemo tamen ex orthodoxis eo usque devenit, quo Montanistae ac Novatianenses 2. Ceterum, ut in aliis etiam christianis dogmatis usuvenit, errorem huic plane contrarium alii propugnarunt, ex perperam intellecto Matthaei loco inferentes, matrimonii vinculum alterutrius coniugis adulterio solvi ac novas proinde nuptias in arbitrio esse coniugis innocentis.

Mediam porro inter utrumque errorem doctrinam Ecclesia constanter docuit idipsum repetens, quod a Paulo accepit: *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut*

1 Hier. - *In Iovinian. L. I.* - De his auctoris criminationibus consulendus est Doellingerus operis antea laudati pag. 134, seqq.

2 Cons. Perrone - *De matrim. Christ. III*, 2. *art.* 1.

et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri . . . . Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit, quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino [1]. Quae sic Hieronymus expressit: *Vivente viro, mulier alligata est; et mortuo soluta. Ergo matrimonium vinculum est, et viduitas solutio . . . . Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime; sed prima laudamus. Abiicimus de Ecclesia digamos? Absit; sed monogamos ad continentiam provocamus* [2]. — Atqui haec omnia et singula apostolicae doctrinae capita Callistus tenuit et commendavit. Namque insolubile matrimonii vinculum esse docuit, dum feminis alteras nuptias ea conditione permisit, εἰ ἄνανδροι εἶεν, *si forent sine viro:* atque ut secunda matrimonia permitteret, eamdem attulit rationem quam Paulus attulerat. Ex hac igitur criminatione id unum exsistit, lucro veritatis apponendum, non aliam fuisse Callisti de monogomia doctrinam, quam quae ab Ecclesia continenter tradi atque haereticis opponi consuevit.

Sequitur alterum criminationis caput quod generatim ad ius romanum de matrimonio, et speciatim ad Iuliam legem *De maritandis ordinibus* non obscuro refertur. Porro ut romano iure cautum erat universe, ne matrimonium esset nisi inter ingenuos et cives et aequales, sic nominatim lege illa cavebatur, ne senatorum filiae nuberent libertinis aut aliis quibuscumque, etiam ingenuis, qui ob exercitam artem ludicram abiectiores facti censebantur [3]. Verum siqua senatoris filia ludicram artem exercuisset vel flagitioso quaestui dedisset operam vel publico iudicio damnata esset, ea libertino impune nubebat, ut quae simul clarae per-

1 *I. Cor. VII*, 8, 9, 39.

2 Hieron. - *Ep. CXXIII ad Ageruch.* Cui plane consonat Chrysostomus his verbis: Ὥσπερ οὖν καλὸν μὲν ὁ γάμος, κρείσσων δὲ ἡ παρθενία· οὕτω καλὸν μὲν καὶ ὁ δεύτερος γάμος, κρείσσων δὲ αὐτοῦ ὁ πρῶτος καὶ μόνος. Οὐ τοίνυν ἐκβάλλομεν δεύτερον γάμον, οὐδὲ νομοθετοῦμεν ταῦτα, ἀλλὰ παραινοῦμεν, εἴ τις δύναιτο σωφρονεῖν, ἐπὶ τῷ προτέρῳ μένειν. *Hom. in I. Tim. V*, 9.

3 L. *Qui senator*. D. *De ritu nupt.* coll. L. *Siquis ita*. D. *De testam. tut.*

sonae dignitatem amisisset 1. Unde consequens erat, coniunctiones omnes aliter factas civilibus nuptiarum fructibus caruisse. —Iam vero auctor Callistum traducit, quod huiusmodi coniunctiones contra legem factas vim iusti matrimonii obtinere voluerit. Quae Callisti ratio eo primum per se rediit, ut feminas mutuo consensu cum maribus coniunctas, individuo matrimonii vinculo (non iure fori, sed iure caeli) colligatas censeret. Primum, inquam, et per se: nam secundo ac veluti per accidens civiles quoque matrimonii effectus potuit pertingere, quando privatae fidelium disceptationes ex arbitrio episcopi componebantur.

Utrum auctoris delatio ex vero ducta fuerit an secus, et quatenus cum veritate cohaereat, definire non ausim. Sed utcumque res habeat, operae pretium existimo, eam relationem ad aequitatis et historiae normam exigere — Ineunte seculo tertio, quo Callistus pontificatum gessit, ethnica superstitio procul dubio latissime adhuc patebat: cumque praesertim senatorum pars multo maxima vel nullius esset religionis, vel idolorum cultui mancipata foret, fiebat profecto interdum ut per iustas nuptias honestati ac fidei nobilium feminarum consuli non posset. Evenire etiam quandoque potuit, ut, ex professione eiusdem religionis, feminae christianae erga fideles, sive servos, sive ingenuos inferioris ordinis, magis, quam erga aequales ethnicos, afficerentur. Ad haec non raro contingebat, ut propter egestatem nuptialibus impensis parcere fideles cogerentur. His profecto adiunctis intervenientibus, incommoda, quae forte oriebantur ex inaequalitate coniugum, interdictione matrimonii praecaveri vix poterant, quin aliunde graviora mala essent pertimescenda. Et sane post ipsam Augustorum conversionem, per quam dissidia civiles inter atque ecclesiasticas leges magna ex parte sublata sunt, non levia incommoda indidem extiterunt. *Multos videmus* (aiebat Hieronymus) *ob nimiam paupertatem, uxorum sarcinam declinare, et ancillas suas habere pro uxoribus, susceptosque ex his liberos colere, ut proprios. Qui si forte ditati ab Imperatore stolam illis meruerint, confestim Apo-*

1 L. Senatoris. D. *De ritu nupt.*

stolo colla submittent, et inviti inter uxores eas recipere cogentur. Sin autem principale rescriptum eadem tenuitas impetrare non quiverit, cum romanis legibus scita Ecclesiae mutabuntur 1. Quae caussa fuisse videtur cur patres toletani quinto seculo ineunte sancirent, christianum, qui concubinam, hoc est, feminam uxoris loco sine nuptiis haberet, *non esse a communione repellendum, si unius mulieris coniunctione sit contentus* 2. Quis igitur iure Callistum reprehendat, quod religioni atque honestati magis, quam avitae feminarum nobilitati aut civilium legum observantiae prospexerit? Quamquam, ut scite Doelligerus notavit, aevo illo non amplius erat quamobrem iulia lex adeo religiose observaretur ut ordinum distinctio familiarumque dignitas salva esset. Namque ad libidinem imperatorum, nullo habito claritudinis respectu, obscurissimi quique in senatum adsciscebantur. Quid? quod ipsi imperatores tunc libertas passim sociare sibi uxorum loco sine nuptiis solebant? Marcia certe, quam auctor indicat fuisse christianam, citra conubium romano iure concessum, tanquam uxor, a Commodo habebatur: nec tamen Victor pontifex eam, ut mali nominis concubinam, habuisse videtur. Ut igitur ad iuris christiani normam Callistus egit, dum se nequaquam obligatum censuit civilibus nuptiarum impedimentis in moderanda connubiorum ratione, sic civilis prudentiae laudem sibi comparavit dum iuliam legem non pluris fecit quam praestitutus legi finis ac iam fere sublata ordinum distinctio poscebat. — Equidem non miror, christianas aliquot feminas eiusmodi coniugiis, uti refert auctor, abusas esse: quando nihil sit ex sese tam rectum ut depravari per abusum nequeat. At num propterea Callistus infanticidii ac pellicatus magister appellandus fuit? Etsi mala, quae per eam oeconomiam praepedita sunt, a Callisti detractore reticeantur, aequus tamen quisque rerum aestimator facile intelliget, longe plura et graviora illa fuisse quam quae ex eiusdem oeconomiae abusu forte prodierunt.

1 Hieron. - *Ep. LXIX ad Oceanum.*
2 Conc. tolet. I. - *Can. XVII.*

CAPUT XLVII.

Novus honor Callisto partus e schismatici hominis delatione.

Inter subdolas criminationum ambages caute, ut in hostico, progredientes iam satis versati sumus. Placet heic tandem sistere paulisper veluti in apricum egressis, aspectuque lucis recreari, quae, discussis calumniarum tenebris, Callistum Christi martyrem ac pontificem illustrat.

Vir ingenii doctrinaeque laude couspicuus, quicumque demum is fuerit, id sibi potissimum in hac insigni haereticorum confutatione proposuerat, ut praeclari illius antistitis et laudes obscuraret, et nomen indelebilibus infamiae notis inureret. In hunc vero finem singula quaeque adversarii facta, initio ducto ab ipsa eius adolescentia, sedulo conquisierat suisque aspersa pigmentis eo consilio retulerat, nihil ut Callisto probrosius existimari aut fingi posset. — Quaenam vitae innocentia, non dicam viri publicis muneribus ac negotioso in primis pontificatu functi, sed privati cuiuspiam, non cessisset calliditati atque audaciae tanti oblocutoris? Nec tamen cessit innocentia Callisti, contra quem ille nihil promere potuit praeter iniquas recto factorum interpretationes. Adeo nempe Callisti mores inculpati fuerunt! Adeo cum veritate consensit testimonium ab romana ecclesia de Callisto dictum!

Et sane, licet obtrectator ille bona omnia Callisti merita studioso suppresserit, aliqua tamen ex necessitate ipsa calumniandi patefacere coactus est, alia vero ex eodem illo reticendi studio colligenda reliquit. Quae simul omnia commonstrant, dignissimum beati Petri heredem fuisse Callistum. Nimirum post adolescentiam gravibus aerumnis et laboriosa fidei confessione probatam, insidias inter et pericula Callistus in beato Victore vitae praesidium ac tutelam nactus est. Nec multo post ab eodem illo pervigili ecclesiasticae disciplinae custode inter clericos, ut videtur, est cooptatus. — Zephyrinus in Victoris locum subiectus Callistum tanti fecit, ut eum archidiaconum constitueret, eiusque

consilio atque opera in tractandis Ecclesiae negotiis potissimum uteretur. Neque is profecto spei defuit quam Zephyrinus de ipso praesumpserat. Namque in clericorum ordinatione sic adfuit novo huic antistiti ut hypogaei pontificii recens exstructi praefectura honorari ab illo prae ceteris meruerit. Tum Ecclesiae bona tam solerter administravit, ut non modo pauperum necessitatibus per stipium erogationem, at splendori etiam christiani cultus, aucto ornatoque Appiae hypogaeo, consuluerit. Super haec alacritatem nihilo minorem contulit ad christiani dogmatis custodiam ac defensionem, dum praecipua catholicae fidei capita contra Theodotianos et Noëtianos asseruit.

Quanta porro integritate ac fide per diuturnum Zephyrini pontificatum haec omnia praestiterit, testis est clerus populusque romanus, qui, Zephyrino vita functo, Callistum pontificatu maximo dignum iudicavit. Superstites nimirum erant non pauci ex institutis a Victoro clericis; neque deerant in Urbe viri sacra doctrina spectabiles, uti ex Caii scriptis, ipsisque adeo Tertulliani disceptationibus apparet. Quamobrem neque homines tanto sacerdotio digni, neque idonei meritorum testes ac iudices in hac ecclesia desiderabantur, per quos optimus sacrorum antistites eligeretur. Inter hos tamen atque ab his citra dissensionem, quam auctor obloquendi studiosus memorare nullam potuit, Callistus, nulla licet originis nobilitate commendatus, ad summum christianae hierarchiae fastigium provectus est.

Neque id mirum esse debet, quando ex universa istius obtrectatoris renunciatione appareat, neque alacritatem, neque prudentiam, neque doctrinam tanto muneri parem Zephyrini successori defuisse. Qui quum fuerit ad romanas infulas evectus, tempestate ab haereticis tam infesta quam fere a metu imperatorum secura, non mediocri profecto sapientia indiguit ad ea praestanda, quae ab ipso postulabantur, quaeque, ut par erat, ipse persolvit. Montanistas quippe nativae austeritatis praesidio ac Tertulliani auctoritate superbientes compressit; de poenitentiae deque matrimonii sacramentis apostolicam doctrinam propugnavit; Sabellium in errore obfirmantem ecclesiastica communione prohibuit; idoneum

sabellismi refutandi modum successoribus praestructum legavit; catholicae veritatis integritati per universum orbem auctoritate sua prospexit. Quibus omnibus quinquenni dumtaxat pontificatu gestis, dignus tanto pugile exitus, martyrium accessit.

Itaque iure merito gratulari nobis possumus scripti huius editionem, non tam quod inde novis accessionibus locupletata fuerit historia veterum haereseon, quam quod abdita dudum unoque ferme martyris nomine inclusa Callisti pontificis decora et ornamenta in lucem publicam prodierint.

INDEX

NIHIL OBSTAT

Iohannes Perrone S. I. Cens deleg.

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Petrus De Villanova Castellacci Archiep. Petrae, Vicesgerens.

LIBRI VENDIBILI

PRESSO I DISTRIBUTORI DELLA *CIVILTÀ CATTOLICA*

BOERO (d. C. d. G.) *Istoria della Vita del V. P. Pignatelli* ecc. Roma 1857. Un volume in 8.° con rame — Bai. 80 - Fr. 4, 80.

— *Vita del B. Giovanni de Britto M.* ecc. Roma 1853. In 4.° e in 16.° — Bai. 15 - Fr. 0, 90.

— *Menologio di pie Memorie d'alcuni Religiosi d. C. d. G. raccolte dal P. Patrignani, e continuate* ecc. Roma 1859. Vol. I Gennaro; Vol. II Febbraro. Gr. in 8.° — Sc. 1 al volume - Fr. 6.

BRESCIANI (d. C. d. G.) *Dei Costumi dell'Isola di Sardegna.* Napoli 1851. Due Vol. gr. in 8.° — Bai. 90 - Fr. 5, 40. Un vol. in 8.° — Bai. 65 - Fr. 3, 90.

— *Ubaldo ed Irene; Racconti storici* ecc. Roma 1856. 2 Volumi in 16.° — Bai. 80 - Fr. 4, 80.

— *Descrizione di trenta Medaglioni.* Napoli 1853. In 8.° — Bai. 15 - Fr. 0, 90.

— *Olderico, ovvero il Zuavo Pontificio. Racconto del 1860.* Roma 1862. In 12.° — Bai. 70 - Fr. 4.

BRUNENGO (d. C. d. G.) *Le Origini della Sovranità temporale dei Papi.* Roma 1862. Un vol. in 8.° — Bai. 60 - Fr. 3, 60.

CORDARA (d. C. d. G.) *Historiae Societatis Iesu.* Pars Sexta. Ab ann. 1626-1633. Tomus II. Romae 1859. In fol. — Sc. 4 - Fr. 24.

CURCI (d. C. d. G.) *Il Frate. Discorsi su gli Ordini religiosi.* Roma 1858. In 8.° — Bai. 5 - Fr. 0, 30.

— *Una Divinazione sulle tre ultime Opere di V. Gioberti.* Parigi 1849. Due volumi gr. in 8.° — Sc. 1 - Fr. 6.

— *Il Paganesimo antico e moderno. Discorsi* ecc. Roma 1862. Un vol. in 12.° Bai. 25 - Fr. 1, 50.

— *Il Cristianesimo antico e moderno. Discorsi* ecc. Roma 1862. Un volume in 12.° — Bai. 25 - Fr. 1, 50.

— *La Questione [illegible] nell'Assemblea francese.* P[illegible] 1848. Un vol. in 12.° — Bai. 30 - Fr. 1, 80.

DA PONTE (d. C. d. G.) *Meditazioni.* Napoli 1852. 13 volumi in 12.° — [illegible] 2 - Fr. 12.

GARRUCCI (d. C. d. G.) *I segni delle Lapidi latine detti accenti. Dissertazione* ecc. Roma 1857. In 4.° — Bai. 50 - Fr. 3.

— *Vetri ornati di figure in oro trovati nei cimiteri dei cristiani.* Roma 1858. Un volume in fol. con Tavole — Sc. 8 - Fr. 48.

LIBERATORE (d. C. d. G.) *Institutiones philosophicae ad triennium accommodatae.* Ed. 2.ª Romae 1861. In 12.° — Paoli 12 - Fr. 7.

— *Elementa Ethicae et Iuris naturae.* Romae 1857. In 12.° — Paoli 6 - Fr. 3, 60.

— *Della Conoscenza Intellettuale.* Roma 1858. Due vol. in 8.° — Sc. 2 - Fr. 12.

— *Del Composto Umano.* Roma 1862. Un vol. in 8.° di pag. XVIII, 574. — Paoli 12 - Fr. 7.

MARTINET (Ab.) *L'Emmanuele, ovvero il Rimedio a tutti i nostri mali.* Napoli 1849. In 12.° — Bai. 15 - Fr. 0, 90.

NEPVEU (d. C. d. G.) *Lo Spirito del Cristianesimo* ec. Roma 1861. In 16.° Paoli 3 - Fr. 1, 80.

PARODI (d. C. d. G.) *La fede e la devozione a Maria Immacolata* ecc. Roma 1856. In 16.° — Paoli 2 - Fr. 1, 20.

— *La Definizione dell'Immacolata e il libro di prete Tonetti.* Roma 1856. In 8.° — Bai. 7 - Fr. 0, 40.

PIANCIANI (d. C. d. G.) *Cosmogonia naturale comparata col Genesi.* Un vol. in 8.° di pag. 568. — Sc. 1 - Fr. 6.

SORDI (d. C. d. G.) *Il Movimento nazionale. Istruzione popolare* ecc. Roma 1861. In 8.° — Bai. 5 - Fr. 0, 30.

TAPARELLI (d. C. d. G.) *Le Ragioni del Bello* ecc. Roma 1860. In 12.° — Paoli 2 - Fr. 1, 20.

— *Saggio Teoretico di Diritto naturale* ecc. Roma 1855. Volumi 2 gr. in 8.° Sc. 2 - Fr. 12.

— *Esame critico degli Ordini rappresentativi* ecc. Roma 1854. Volumi 2 in 8.° — Sc. 1, 50 - Fr. 9.

L'Orbe cattolico a Pio IX esulante da Roma. Napoli 1850. Volumi 2 in 4.° Sc. 1, 50 - Fr. 9.

Intorno alla Scomunica fulminata dal Concilio di Trento contro i violatori del Dominio temporale della S. Sede. Roma 1860 — Bai. 5 - Fr. 0, 30.

I prezzi sopraddetti sono per la sola Italia. Il prezzo di baiocchi e scudi vale per Roma; fuori di Roma il prezzo è indicato in franchi e centesimi. Il presente catalogo annulla tutti i precedenti.

Novembre 1862